This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600015326N

G. 156 G 5



E. BIBL. RADCL.

C

18918 d 36

DE

HERMAPHRODITORUM NATURA

TRACTATUS

ANATOMICO-PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICUS

QUEM EXPOSUIT

Dr. GEORGIUS STEGLEHNER

THEATRI ANATOMICI BAMBERGENSIS PROSECTOR etc.

BAMBERGAE ET LIPSIAE,

APUD CAROL. FRIEDERIC. KUNZ.

1817.

„Il y a des gens, qui voudroient, qu'un Auteur ne parlat jamais des choses dont les autres ont parlé; autrement on l'accuse de ne rien dire de nouveau. . . I'daimerois autant, qu'on l'accusât de se servir de mots anciens."

Pascal Pensées.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, HONORATISSIMO, PRÆCELLENTISSIMO, DOCTISSIMOQUE

DOMINO DOCTORI

SIMONI AB HAEBERL

SACRAE MAIESTATIS

REGIS BAVARIAE

CONSILIARIO PRIMARIO IN REBUS MEDICIS;

NEC NON

SACRAE REGIAE CORONAE BAVARICAE

EQUITI etc. etc.

TUTORI OMNIS BONI ET RECTI

PIETATE

D. D. D.

HUMILLIMUS DEVOTISSIMUSQUE

Dr. STEGLEHNER.

P r a e f a t i o.

Nullus sane dies praeterlabitur, nullaque hora anatomicis impenditur occupationibus, quae diligentem et scitu cupidum Incisorem novis non divitem reddat veritatibus. S i c i m m o r t a l i s n o s t e r W r i s b e r g.

Naturam in formandis corporis humani reliquorumque animalium partibus quendam plerumque ordinem et constantiam observare, quotidiana testatur experientia. Dum cuilibet func-

tioni determinata sua decreverit organa, sic quaelibet particula, pro diversitate usus, necessitatis, ad varia negotia influxus, brevioris longiorisque per vitam durationis, differentem a natura obtinuit quoad numerum, magnitudinem, pondus, situm, aliaque attributa legem, cui obtemperare debet, nisi extraordinariis et insolitis turbetur circumstantiis. Argumento hujus sententiae, quo in aliquas animalis praecipue autem humani corporis partes commentarer, decrevi tale objectum, quod non solum huic a natura praescriptae legi obedit, sed quod sua dignitate et multiplici in genus humanum salubritate prae aliis se commendat, ut cunctis viribus in eo perficiendo laboremus.

Nullae fere existunt in corpore animali particulae, quae tam memorabilem subirent mutationem, et quae si turbantur, erroribus et dubiis tam frequentibus in medicina praecipue forensi ansam praeberent, quam partes genitales. Ideoque generationem et formationem organicam in genere, praecipue genitalium illam per diversas animalium classes indagavi, ut

clariorem cognitionem de hermaphroditorum natura acquirerem. Casus mihi obtulit exemplaria hermaphroditismi et aphroditismi insignia, quae curiositatem meam ad hoc studium praeprimis allicerunt. Multis bonis malisque perlectis, hinc et inde collectis contemplationem, casuumque observationes modo praesenti ordinavi. Incurius nunc hunc laborem publico trado; sumat quisque sua, nunc tamen sunt qnoque mea. Quisque lectorum tamen fatebitur, me non tantum compilasse, sed ipsum cogitasse atque observasse. Clariòrem cognitionem de hac materia autem praecipue litteris fratrum Mekel debeo, quibus heic publice gratias ago. Solum precor lectorem benevolum, ut errores indicatos cum non indicatis corrigat. Forsan quisnam hinc inde me excusaret quodammodo, si dicerem, tempore impressionis jam inceptae de improviso labores cumulatos officia nova etc. me vehementer turbasse, ita ut tandem continuationem hujus laboris per longum tempus omnino destituere coactus fuerim, praecipue cum adhuc quaedam exemplaria accepissem, quae heic adhuc adjungere

volui, et tunc nondum elaborare potuissem, quia ad officia solita diversorum nosocomiorum militarium cura gravis accesserat.

Dabam Bambergae die 3. Octobris 1816.

Autor.

Introductio.

Forma normalis ubique perbella, sublimis, quod pari passu tam in arte quam in natura sese manifestat; sed nec arti nec naturae semper regulares producere formas contingit. Casus saepe nisum utriusque laboriose commotum ad metam hanc sublimem attingendam frustrat; immo in favorem illarum formam irregularem uti oppositionem excelsae pulchritudinis et symetriae studio procreare videtur, ut eo distinctius splendidiusque illarum solertia effulgeat. Natura omnia in omni et diversissimis modis repetere tentat.

Origo deformitatis ut cum excessu sic cum defectu saepe non ex causa occasionali, generationis vel graviditatis tempore agente, repetenda est, sed potius jam qua dispositio prioribus

in mo familiis inhaeret; familias triorchidum, cataracta haereditaria laborantium, sex digitis perfectis instructorum exempli gratia lectori in memoriam revoco. Nec infrequenter origo in prima formationis periodo casibusve fortuitis in matrem tempore evolutionis embryonis agentibus sita est. Immo in ipsa foetus incrementi periodo deformationes in illo oriri posse, nemo negabit, uti sunt navi materni in cute, dispositiones morbosae et ipsi morbi uti epylepsia etc. Cutis actio in foetu praecipue praevalet; intestinorum enim in corpore nutriendo vicibus fungitur. Haec quippe se evolvendo occupata caeterae oeconomiae de succis providere nondum possunt. Cum vero quodvis organon, quo gravioribus functionibus praeſit, eo frequentioribus sit obnoxium morbis, hinc et cutis facilius male afficitur.

Sectio prima

de formatione foetus et de diversis causis partuum insolitorum, deformium atque monstrosorum.

Prima classis deformitatum haereditarias comprehendit. Parentes, filios generando semet ipsos reproducunt. Non partes genitales solummodo generant, sed individuum, homo omnibus suis partibus, et infantes parentum suorum individuum generaliter, praecipue autem in generationis actu praevalens sequuntur; et illius proprietates tam physicas quam psychicas assumunt, et sic vitia parentum physica et moralia referunt.

Physicorum vitiorum semina in teneriori organismo latentia sese tempore pubertatis, immo tempore altioris evolutionis in iisdem organis, quae in prioribus affecta sunt, manifestant.

Sed non raro in ipsissima generatione deformitatis ortus quaerendus; alias enim parentibus formosis nunquam infantes deformes nascerentur. Inopia materiae genitricis, vel defectus vis necessariae tam ex parte virili quam muliebri vel utriusque facile deformitates causant. Juxta qualitatem et quantitatem materiae genitricis et juxta intensitatem virium ad generationem necessariarum, creatura diversimode et proportionaliter formatur. Si physiologice reflectendo vires a materia distinguere solemus, bene annotandum, id solummodo per abstractionem fieri, sed neutiquam in ipso organismo existere posse, quoniam ibi vires et materia intimo connubio junctae perfectissime sese penetrant, seu potius illum constituunt, et cum immutatione unius quoque mutatio alterius ponitur.

Valet hoc quoque de vi genitrice et formativa, inter quas revera nulla differentia essentialis datur. Homo non una vice in coitu et cum omnibus suis partibus generatur et formatur, sed illae lento et successivo ordine a vi evolvuntur, cujus actio in generationis actu in materia genitrice accensa et provocata fuit. Haec vis evolutionem foetus efficiens continuam physiologis modo vis plastica, modo nisus formativus etc. audit.

Foetus formatio ergo nil aliud est, nisi continuata generatio et ambae hic cum nutritione in unum coincidunt, si etiam ex opposito disjunctae appareant, sed in polypis perfectissime conjunctae sese demonstrant.

Neque individua generant nec vir nec mulier, sed genus infinitum in illis se procreat et sic sibi ubique aequalis natura genitrix; generatio et procreatio propterea synonima sunt.

Sed uti solummodo unica datur natura creans, sic existit quoque unica generatio, quae ad essentiam ubique aequalis et solum quoad modum differens est. Genera tantum gradus differentiarum et diſtinctum characterem creaturae efficiunt.

Si genus quidem in individuo generante se explicat, sed non sufficiente potentia, productum generationis quidem orietur, sed non perfectum, distinctis et aeternis characteribus, individuis hujus generis convenientibus, praeditum, sed potius vis illa creans universalis in illo praevalet. et productnm hujus connubii in profundiore gradu, justo debiliore generis expressioni generantium individuorum convenienti conformiter retinet; et sic in homine, opere vis creantis summo, positis sub circumstantiis, omnes gradus generationis animalium inferioris organisationis, incipiendo a generatione aequivoca, per illum polyporum ad generationem ope sexus usque sese repetunt.

Character primarius generationis humanae in eo consistit, quod per individua sexu differente praedita peragatur, sed quoniam natura in sua creatione omnia in omnibus, et omne in omni et diversissimis quidem modis repetere praeplacet: ita non solummodo generationem aequivocam, diversas molarum species generando et polyporum creationem in infante aphroditico, cui praeter ventrem omnia reliqua membra, immo organa sexus desunt, quod revera status polyporum est, repetit; sed quaerit quoque diversas proprietates et formas aliorum animalium inferioris organisationis repetere et in humano genere repraesentare. Ast uti natura in diversis individuis generis humani omnes inferiores animalium gradus reiterat et sic sese solummodo per defectum formationis sublimioris humanae demonstrat, sic ex parte contraria quoque per excessus vis genitricis et formativae hominem et ejus partes singulares vel singulariter vel in integrum duplicat; immo in vigore actionis suae procreantis sexum in individuo duplici illius productione conatur, quod non nunquam per explicationem characterum contrariorum, hermaphroditos formando, observatur; conamen, cujus effectus, si semel sat perfectus adesset, non ulterius monstrositatibus adnumerandus, sed potius uti summum vestigium et triumphum naturae generantis censendus esset.

Omnes monstrorum formationes vel cum excessu vel cum defectu formae regularis, si partes internae magis essentiales vel desunt, vel duplicantur, propterea nil aliud sunt, nisi producta ipsius generationis et sequelae perturbati ac alienati nisus formativi generalis, qui non solum in coitu sed jam antea praecipue in ingruente oestro activus apparet.

Poli sexuales oppositi se in coitu ad apparens punctum indifferentiae conjungunt, et ubi jam punctum saliens, initium vitae individualis observatur, poli vix ad indifferentiam redacti, dissilientes se in duobus novis oppositionibus manifestant, quarum una vesica capitis, altera trunci est.

Momentum primum formationis ſoetus post approximationem materiae genitricis oppositi sexus est processus chemico-animalis, analogus formationi crystalorum. Vita cujuscunque individui est successiva et lenta evolutio formationis organicae a minimo gradu usque ad summum, ad hominem tanquam naturae coronam.

In homine qua microcosmo omnia sese repetunt, quae in macrocosmo exstant, sed juxta proprium diversitati individuorum convenientem modum. Omnes actiones vitales in universo vel de magnetismo, de electricitate aut de chemismo testantur; trias haec sensibus perceptibilis redditur in galvanismo, uti iteratim in aquae decompositionis experimento observavi, quod celeberrimus, immortalis Professor meus, Dominus consiliarius ecclesiasticus Weber Dillingae, tam exacte et perbello monstravit, vir, cujus merita de scientiis naturae illi jam dudum in annalibus litterarum monumentum exstruxerunt, quod non imber edax, non aquilo impotens posset diruere, aut innummerabilis annorum series vel fuga temporum, cujusque memoriam discipulorum quivis servabit, dum memor ipse sui.

Magnetismo correspondent primordia vitae, infusoria, quae juxta Oken imaginem lineae infinitae praeseferunt. In polypis praeter polaritatem linearem quoque illa latitudinis accedit, ac oppositio superficiei internae et externae se exponit et sic progreditur ad mammalia in homine terminanda, in quo omnia phoenomena universi tanquam perfectissimo aemulatore illius per reproductionem, irritabilitatem et sensibilitatem repraesentantur, et unitim sub expressione vis vitalis, actionis vitalis in microcosmo sic agunt, uti galvanismus in macrocosmo; sic intelligi oportet dictum, vitam animalium perfectioris organisationis processui galvanico comparandam esse.

Attractio et repulsio sunt causae principales naturae omnium phaenomenorum tam in microcosmo quam in macrocosmo; propterea etiam nu-

tritionis et generationis. Utroque factore in generationis actu ad indifferentiam evecto per formationem embryonis nova oppositio oritur; quoniam autem hoc novum productum per intimam conjunctionem duarum oppositionum generatum fuit, in illo quoque characteres ambarum uniti apparere debent, sed sic apparere, ut modo virilis modo faemineus praeponderet.

Cum periodum generationis usque ad apparentiam puncti salientis extendo, et initium illius jam ante coitum assumo, facile intelligendum causa perturbati ac alienati nisus formativi modo in patre modo in matre modo in utroque, quandoque autem in influxibus externis et circumstantiis occasionalibus haerere et ideo tot monstrorum generandorum causas posse dari, quot ad productionem et evolutionem alius morbi existunt. Praeter certas destinatis vitiis correspondentes dispositiones, et praeter vel abundantem vel deficientem materiam efficacem generationis et vim fructificantem, omnia ad modulationem nisus formativi generalis inservire possunt, quae generaliter hominem praecipue tunc afficere valent, cum individuo sui generis producendo incumbit.

Homo, qua talis, quatruplici modo affici potest.
1mo quoad spiritum,
2do quoad mentem,
3tio quoad mixtionem materiei chemico-organicam,
4to quoad formam suam organicam.

Cum autem generationis actus praecipue mentalis et illius essentia in integrum spiritualis censenda sit, etiam affectiones spiritus et mentis in illa periodo foetus formandi praecipue agunt et non raro essentialem et corpoream formationem creaturae destinant. Tali modo admirationis, terroris, imaginationis et concupiscentiae effectus intelliguntur.

Foetus tandem proprio generationis negotio et suo formatur in genere quam [illegible], hic quidem particulariter impediri, aberrare, et in diversis partibus in integrum aberrare potest: attamen productum per suas diversas gradationis periodis evolvitur et hinc [illegible] partium in hoc formationis statu magis [illegible] quam in primo sunt.

Nisus formativus jam in periodo formationis alterari, et ad excessum vel ad defectum adduci potest; et in uno quidem ovulo solum vel in pluribus simul evolutus. Regularis vel irregularis nisus formativus constituit vel alterat quoque vasorum evolutionem, quae nil sequela causae sublimioris, causa proxima destinatae formationis organi cujusdam habenda est.

Alia quaestio est, utrum irregulariter auctum, vel partialiter vel in integrum duplicatum systema vasorum se evolvisse vel evolvere possit?

Aliqui asserunt, in gemellorum gestatione non necessarie duo ovula se solvere debere, at sine argumentorum sufficiente expositione. Hoc si verum esset, certe magis valeret de duplicatura, ubi partes vel foetus integer duplex conatus est. Ast hoc lucidius ex fructificatione extra matris corpus perspicitur, nam si res sic se haberet, non tam enormis ovulorum numerus [illegible] animalibus necessarius foret; mulieris insuper in prole producenda functio nimis restricta videtur. Haec enim in generationis actu non minus se activam gerit quam vir, sed alio virili opposito modo. Ad creationem duorum embryonum ergo non solummodo vir sed mulier quoque materiam contribuit, quia foetus uti synthesis perfectissima parentum utrorum se praesentat, et repraesentare debet. Si hoc non esset, gemellorum, trigeminorum etc. partus in genere humano multo frequentior appareret, quam revera observatur, quia hoc tantum a majori vel minori [illegible] quantitate dependeret. Quoniam autem raro simul duo vel plura ovula matura sunt, etiam fructificatio quoad numerum aucta succedere nequit.

In ipsis mammalibus non omnia ovula simul sunt matura, propterea non omnia se solvunt, quod in coitu quoque saepius et celeriter vel brevi tempore repetito non fieri solet, et femella eadem eodem oestro venereo allicita, et coitu aequali numero repetito multo minorem numerum embryonum gestat modo nunc quam alias, cujus ratio ex insufficiente quantitate ovulorum maturorum repetenda est. Hoc tanto magis de muliere humana, juxta naturae regulas unipara, valet. Ovula in illius ovario lentius et in longiori temporis interstitio sese evolvunt, quam in mammalibus multiparis. Forsitan ex hac ratione intelligendum sit et explicandum, cur nonnunquam foemina etsi bona secundaque valetudine fruens proles gerere cesset, peracto vero quinquennio vel decennio nova signa fertilitatis edat; ovula quoque non omnia in superficie ovariorum visibilia apparent, plura per discissionem parenchymatis eorum deteguntur.

Solummodo si per propriam genitalium muliebrium activitatem diutius durantem duo vel plura ovula simul maturata sunt, graviditas duplex vel multiplex ex parte muliebri possibilis est, sitve illa activitas vis vitalis genitalium mulieris ex superfluo nisu formativo uti in sanis, bene pastis, torosis, vitalitate atletica praeditis, vel uti experientia multiplex docuit, in individuis, ubi vis potius imminuta quam aucta est, et tamen in nimia ac morbosa activitate genitalium praeparando materiam genitricem superfluam exprimitur; huc pertinent foeminae sensibiles, debiles, graciles, praecipue post celeriter repetitas graviditates et partus; et quoque meretrices ex abusiva stimuli venerei saturatione; sed et omnes istae foeminae in casu duplicis fructificationis propter vim vitae generaliter imminutam ad perfectos gemellos generandos ineptae sunt, sed potius monstra diversa procreant.

Quid vero de multiplici fructificatione ex parte viri censendum? Succedit forte illa in uno eodemque coitu per foecundationem simultaneam

aut per superfoecundationem, id est, per plures coitus brevi tempore se subsequentes? Casus uterque possibilis est. In mammalibus multiparis superfoecundatio et in [illegible] ipsa superfoetatio sufficienter cognita: attamen illas [illegible] in foemina humana [illegible] dupl[illegible] fieri autores putant. Cornua uteri bicornis nempe non in [illegible], sed quodlibet proprio ostio in vaginam se aperit, [illegible] in lepore [illegible] pulcherrime observavi. In homine quoque, [illegible] tamen [illegible] uteri duplex invenitur. Cur superfoetationes [illegible] saepius ac uteri duplices observatae sunt, [illegible]; nam [illegible] omnes [illegible] cognitae fuit. Neque vero [illegible] ex [illegible] intentione,

Forsitan autem saepe foetus eiusdem aetatis diversi quandoque tantum magni[illegible] vel imperitis pro conceptionum duarum effectibus [illegible] tempore valde distantibus fuerunt habiti.

Ast observationes duae a Doctore Deveesio Philadelphiensi communicatae pro superfoetationis possibilitate extant, ex [illegible] casuum percipimus, ancillam peperisse infantem Europaeorum forma et colore, et alium nigrum forma aethiopica. Refutatu difficilis est observatio a Delma relata. Foemina quaedam infantes unum candidum, alterum Leuco-aethyopem partu edidit, quorum placentae in continuum concretae cohaerebant; et foemina ipsa cohabitationem cum Aethiope in periodo quarti aut quinti mensis suae graviditatis est confessa. Hic partus probabiliter coitu duplici cum viris diversi coloris sunt proliciti; objicitur autem hic forte, parentes nigros prolem album progenerare posse, cur non vicissim parentes candidos infantem nigrum?

Sed infantes albi ex Aethiopibus nati in omnibus signis characteristicis praeter cutis colorem omnino conveniunt, immo Aethiopes omnes paturiuntur

colore albo, et solummodo post aliquot dies nigri tinguntur; deest autem quibusdam et in seriori tempore pigmentum illud cutis nigrum, color pilorum, iridis etc. desideratur in Albinis seu Leucaethiopibus sic dictis, quorum status a pluribus naturae curiosis pro morbo habetur; insuper si ab Aethiope genitus caeteroquin albescat, virilibus tamen nigricat, ita, ut inde Americani patrem agnoscendum putent. Varietas haec infantum albescentium luculenter inter homines cute colorato invenitur, sed contra exemplum evidens infantis nigri ex parentibus albis nati non existit. Immutabilitas albi coloris ad praerogativas Europaeorum refertur, cur coloratis anteponuntur, insuper in hoc casu foeminae ipsius confessio allegatur. Placentae autem illae concretae in utero simplici tantum formantur, ideoque simplicem etiam uterum superfoetari posse, aperte elucere videtur.

Ast contra! Conceptione semel finita orificium uteri tubarumque Fallopiae oscula clauduntur ovi tunicis, praecipue membrana ea a Magno Huntero denominata, neque semen virile neque muliebre, seu ovulum novum postea in cavum uteri gravidi simplicis et normaliter formati potest intrare, et ex hacce causa nulla datur superfoetatio rebus sic stantibus; ideoque a superfoecundatione hanc conceptionem gemellorum colore diversorum derivare magis liceret.

Contradictiones hujus facti solvuntur mea opinione si supponamus, uterum sanum bicornutum collo et orifico simplici, qui multo frequentior invenitur, quam uterus duplex seu bicornis orificio duplici. Infra talem uterum orificio simplici delineatum descripturus sum. (Vide Tab. II. fig. VI.) Si ibi (e e e in eadem fig.) tubae ejus non fuissent degeneratae, ovulum coitu solutum et delapsum non in cavum, (ibidem c c) cornibus uteri commune, intraret, quia hoc cavum sicut aspectus et anatomia comparativa docent, nil aliud est, nisi uteri in cornua efformati et evoluti collum, quod adhuc magis ex constructione interna totius organi patet. Corpus illud commune arbore vitae uti alias in duos ramos divisa, in-

structum non longius, solummodo crassius collo ordinario uteri simplicis observes; et versus fundum ejus, (litt. g. fig. VI) qui solus fundo uteri compresso nec in aciem efformato adaequat, spatiolum triangulare lineis incurvis inter crura seu ramos arboris ad latera in cornua abeuntis deteges, quod spatio triangulari uteri regularis et simplicis humanae speciei correspondet, si fundum illum planum inter cornua situm extendas sursum in fornicis formam, cornuum massa et cavum uterque sensim diminuuntur fundo uteri ejusque cavi et spatio triangulari crescentibus.

Spatii anguli anterioris punctum immobile intra crura arboris vitae remanet, in eodem loco, ubi alias collum uteri incipit; ergo totum fere istud corpus commune solummodo collum uteri bicornis repraesentat; uti autem embryones nunquam in collo uteri, sed in cavo aut cavis ejus evolvuntur, sic haud impossibilis est in utero bicornuto superfoetatio, quia foetus singulus unum aut alterum cornu tantum occupat et ejus cavum crescendo extendit; membranae ovi solum ratione voluminis foetus expanduntur, in primis ergo graviditatis periodis nondum in cavum illud collum formans protruduntur, et ab iis orificium nondum est clausum; semen virile et ovulum sine minimo impedimento in alterum cornu nondum impraegnatum pervenire possunt; et tali modo fieret etiam superfoetatio in canibus aliisque mammalibus multiparis, ubi forma uteri bicornuti collo et orificio simplici regula constans est, si prima conceptio ex uno ovario tantum in cornu illi correspondente fiat. In graviditate mammalium certe utroque cornu jam pluries valde diversum embryonum numerum observavi. Cur unum cornu non posset vacare, si in altero unus alterve embryro invenitur? Deinde in oestro revertente superfoetatio in cornu vacuo perfici posset; et tanto facilius in foemina humana, quae juxta regulam unum embryonem solum concipit, qui etiam in uno tantum cornu evolveretur; alter foetus ex superfoetatione ortus in altero cornu augmentatione voluminis sui in progrediente graviditate versus fundum (litt. g. fig. VI. Tab. II.) illum planum uteri simplicis fornici correspondentem foetum primae

conceptionis attingeret, cujus velamenta foetu crescendo etiam expanduntur; et tali modo placentae utriusque chorii amborum foetuum se invicem intime conjungere possent fundum uteri versus, ubi ordinario etiam utero regulari placenta inhaeret. Alias res se haberet, si Delmas nobis dixisset, velamenta quoque communia fuisse, de quibus nihil memorat. Celeberrimus anatomes Professor Consiliarius aulicus Tiedemann in sua historia et descriptione foetuum acephalorum plura exempla allegat, ubi ambobus foetibus uni bene formato, alteri monstroso non placenta tantum sed et velamenta communia fuerunt; vice versa autem alius casus ibi a Britano Joh. Clarkio observatus exstat, qui cum placenta duplici, marginibus suis concreta, etiam velamenta utrique foetui peculiaria probat. Vasis funiculi umbilicalis placentae foetui bene formato adpertinentis injectione cereae massae impletis etiam alterius placentae vasa facile repleta fuerunt; et substantia foetus monstrosi ipsius colore massae injectae fuit tincta.

Accedamus tamen propius proposito nostro! Foecundatio gemellorum simultanea quoque in non nullis casibus non imposibilis videtur. His sub circumstantiis certe systema vasorum duplex et perfectum evolvetur, vel quod perinde est, formentur duo embryones, sed minimus influxus contrarius destruet perfectam evolutionem unius aut utriusque foetus uti in ipsa simplici graviditate non raro fieri solet, et oriuntur monstra diversi gradus et generis, e. g. deformitates solum in unico foetu, alio bene formato, invenimus incipientes a mola per diversissimos monstrorum gradus et formas, vel ambos foetus simul deformes tamen sejunctos. Tandem vel duo vel plures in massam unicam concreti apparent, quod certe per ovulorum commixtionem occasionalem fieri potest.

Quod casum primum attinet, ubi monstrum et foetus perfectus, simul in utero continentur, omnes illae noxae, de quibus superius de graviditate simplici locuti sumus, causae moventes esse possent. Specialiter autem formatio erronea causatur, a defectu sufficientis evolutionis ovuli,

quod tamen ab ovario solutum est, vel a defectu necessariae foecundationis ex parte viri, vel ab inopia nutritionis sufficientis duarum vel plurium embryonum simultaneorum, vel a defectu spatii necessarii cum unus alterum comprimit, et ejus expansioni se opponit.

Mixtio ovulorum si non in ipsis ovariis, tamen in solutione illorum, in introitu per fimbrias in canalem tubarum, in transitu per istas, et in ipso uteri cavo succedere posse, nemo negabit.

Quodlibet ovulum ex duobus membranis concentricis componitur, quarum una interior, altera exterior est, inter quas fluidum summopere coagulabile continetur.

An vesiculae illae in ipsis ovariis fructificentur, uti non nulli existimant, an ovula jam ante coitum maturescant, an activitas producendi in conceptionis momento incipiat, pro nostro scopo prorsus perinde, quoniam in quocunque casu materia duorum ovulorum commisceri potest, ubicunque jam fructificatio vel in ovario, vel in tubis fallopianis vel denique in utero procedat. Permixtio vero materiei ovulorum et concretio embryonum semper fieri poterit, ubi singuli propriis velamentis non sunt muniti, quod solummodo in foecundatione simultanea aut superfoecundatione, nunquam autem in superfoetatione contingitur; etsi non nulli contendunt, concretiones foetuum ex ruptura tunicae amnii oriri, quae in plerisque partibus gemellorum unicuique individuo propria est; saepissime chorion utrique commune, rarius autem duplex placentis perfecte separatis invenitur; quo casu autem sine periculo vitae aut alio minimo detrimento in foetum matremve redundante partus gemellorum in spatiis valde distantibus peragi possunt, quod in Instituto Viennensi publico, puerperis destinato, cui celeberrimus et mihi venerandissimus Professor Boër praeest, semel observavi.

Nunquam, mea opinione, ex uno eodemque ovulo duo vasorum systemata perfecta, et duo embryones evolvuntur. Si plures ad essentiam hominis magis necessariae partes duplicatae adsunt, etiam duo aderant ovula; ex unico ovulo partes duplicatae neutiquam evolventur; nisus formativus quidem excedere, nunquam autem omnes partes essentiales duplicare potest. E contra nimium mihi sumerem dicens digitum superfluum etc. ex commixtione ovulorum duorum originem suam traxisse; talia vitia haereditaria sunt, aut sequelae nisus formativi excedentis; sed hoc fieri nequit, ubi duo infantes formosi adsunt; nec quoque in duobus infantibus alias perfectis sed concretis, quibus praeter concretionem occasionalem nil commune est; sexus, temperamentum etc. variant, quilibet propria placenta gaudet, vel saltem sibi invicem sic uti placentarum cotyledones adjacent, et ad umbilicum singuli infantis proprium funiculum umbilicum mittunt. Estne forte hoc effectus nisus formativi innormalis in ovulo uno?

Ceterum nisus formativi actionem per excessum in unico ovulo libenter concedo, sed duos foetus fere perfectos ex tali evolvere nequit. Natura ludit, sed nunquam facit saltus; productiones suas scala quadam non interrupta se invicem adjungit; sic quoque hic dari possunt casus monstrorum, ubi difficulter determinandum esset, utrum illa ex permixtione principiorum duorum ovulorum vel per excessum nisus formativi orta sint.

Hic ceterum annotandum, quo plura excessui nisus formativi unius ovuli tribuenda, eo majora argumenta habebimus, quae hermaphroditos inter mamalia et in specie inter homines existere posse, evincunt; nam quo magis perfecta duo systemata vasorum ex solo principio sese evolvere possunt, eo magis opposita organa formabuntur; summus oppositionum gradus autem in homine ille sexus est, et tamen uterque sexus essentialiter congruit, quia alias non ex opposito apparerent.

Formatio organorum sexus non in periodum generationis sed in illam evolutionis et formationis organorum et partium foetus singulorum incidit. Primo sine characteribus sexus homo generaliter tantum creatur, neque vir neque foemina reales, sed potentiales, characteres illi solummodo in evolutione foetus in conspectum veniunt et propterea deformitates genitalium utut sequelae causarum censendae sunt, quae in hac periodo in matrem agunt; qua de re inferius exemplum notatu valde dignum afferam.

Mulieris gravidae vita magis aucta, magis virilis, magis functionibus sexualibus internis destinata, mens illius facilius afficienda, ipsa duplicitatem matris et foetus referens unica est.

Hoc integrum,. ad partum usque indivisum, solum in unitate sua affici potest, et affectiones unius poli in alterum oppositum reflectuntur eoque majores in utrumque agunt, quo intimius uterque in unum conjuncti dominantur; hoc est, quo propinquior foetus periodo creationis, quo imperfectior, minus evolutus magisque alterius auxilii est indigens. Gravida uti homo in genere quadruplici modo uti superius dictum est, afficitur; fortius et diutius affecta una ex parte, reliqui quoque modi in consensum trahuntur, sicuti omne integrum ex perturbatione partium suarum ipsum perturbatur. Foetus uti pars matris afficitur et mutatur ipse, matre affecta; sed illae partes facillime afficiuntur. quae adhuc in evolutione versantur, vitaeque matris, unitati, magis subjectae sunt.

In prima generationis periodo non integer homo cum omnibus suis partibus sed primordia partium magis essentialium illius generantur, in stadio subsequente nisus formativus in plures oppositiones se dividit, formantur singula organa embryonis lento et successivo ordine et haec periodus evolutionis embryonis est appellanda Nisus formativi individualis actio uti generatio individualis habenda est; propterea omnes illae causae, quae generationem generalem impediunt et perturbant, quoque deformi-

tates in evolutione partium singularem procreare possunt. Si verum est, non genitalia solum, sed integrum hominem generari, hoc praecipue de matre cum foetu intime conjuncta valere debet, et partes analogae foetus et matris in maximo consensu sunt. Si pars aliqua matris gravidae affectiones patitur, in iisdem partibus et embryo affectus erit, ex una parte tanto magis quo mater ab affectionibus plus vel minus vehementibus, diutius durantibus, vel citius transeuntibus vexata fuerat, et ex altera quo minus partes analogae minus evolutae, minus per se existentes sunt. Experientia argumentis invincibilibus nos docet, affectiones matris immutationem nisus formativi producere. Alteratio nisus formativi quoque immutationem mixtionis et formae ponit et quidem per excessum vel per defectum vel ver utrumque simul.

De monstris in genere.

Deformitatum monstrosarum gradum infimum certe molae constituunt. Molas ut producta generationis habendas esse facile exinde intelligitur, quia in generationis organis oriuntur et tantum durante pubertate; de aliis concretionibus uteri morbosis, quae molae spuriae vocantur, in virginibus intactis et vetulis quandoque inventis hic sermo non est. Dantur inter molas veras diversi gradus, in quibus structura organica modo minus modo autem magis perfecta reperitur. In imfimo earum gradu vesicas et hydatites repraesentantes, molae hydatiformes, conspiciuntur, et se ad foetum perfectum habent uti generatio aequivoca ad generationem sexu separato peractam, sed ad foetum e. g. habent uti echinococus in hepate productus ad integram generationem animalem. Molae non nullae foetum perfectum concomitantur, alterae solae reperiuntur; modo formam massae grumosae, modo autem carnosae praebent; modo reliquia foetus organica, modo aërem, aquam, sanguinem, ossa, capillos etc. membranis occludunt; immo celeberrimus Dr. Bremser Enthelminthologus ardentissimus hydates generaliter, uti molas hydatiformes specialiter, enthelminthis subordinare conatur.

Etiam vera conceptione facta membranae et vesiculae primo formantur. Allantoidem ante embryonis rudimentum vidit Kuhlemann et in ejus superficie externa embryo oritur, uti pulli primordium in vitelli superficie; ea autem pro sacco urinario non est habenda, uti alii contenderunt; sed nutritioni foetus aeque inservit ac vitellum in avibus; eaedem proprietates tunicae erythroidi quoque conveniunt; utriusque liquor contentus similiter nutritioni inservit priori tempore; id concludimus ex magnitudine, qua praeexistunt, et totum uterum prae embryone occupant. Ut omnis prima formatio in nutritionem mox transit, sic quoque hisce tunicis eam proxime adscribendam esse judicamus, uti omnibus ovi tunicis primo ad formationem, deinde ad nutritionem conferentibus, in quo amnion cum allantoide et tunica erythroide omnino convenit. Elucet exinde inter generationem, incrementum embryonis et nutritionem nullam differentiam essentialem existere posse.

Pari ratione uti inter generationem aequivocam et sexualem ita quoque inter sexum et aphroditismum sic dictum nulla inveniri potest differentia essentialis, integer organismus ad sexum referri debet et ille *quidem* animalis seriei sublimioris a minima illa polyporum nempe solummodo quoad gradum differt. Polypus mas et foemina simul, sine organorum sexualium separatione, homo hoc quoque est, solum ea cum differentia, quod organa sexus separata in duobus lateribus oppositis appareant. Nullibi in natura saltus, sed transitus successivus ab infimo ad summum, a summo recessus ad imum; oppositiones ubique ad punctum indifferens conjunguntur. Profundiora sublimioribus subordinata, in illis repetita et expressa sunt, utpote idea dominantur conceptu. In acu magnete tacta medium indifferentiae polorum; quisque autem polus alteri per se est oppositus, uti experimenta docent. Sic res quoque in regno animali se habet. Quivis homo hermaphroditus est, ait celeberrimus eques a Walther in libro suo de Physiologia. Uterque sexus invicem alterius

participat, et unus alterius indiget ad sese complendum; non individuum est generans sed solummodo naturae creantis genus, quod revera non existit tantum in organis sexualibus, quae sunt magis occasionalia quam essentialia (generatio hic generaliter sumta est); sed ab omnibus individuis ejusdem specie exprimitur; ideoque generatum etsi deforme et monstrosum nunquam omni generis generantium charactere carebit, molis exceptis. Occasionale autem deesse potest, sed essentia permanens est et immutabilis. Haec si vera sunt, nemo existentiam hermaphroditorum, id est personarum characteribus sexuum insolito modo permixtis, in omni animalium classe negabit; quia natura omnia in omni et modo differente et individuali repetere conatur. Hermaphroditismus quidem ad infimas animalium classes pertinet; in sublimioribus autem sexus separatio sed separatio absoluta non est. Natura in genere humano, tanquam imagine totius regni animalis per omnes species, varietates, formas et deformitates et monstrositates placide ludit, quasi reunionem illorum tentans, quae studio et sponte divisit, demonstrare conatur, quod reapse inter genus et individuum nulla essentialis detur differentia, quoniam inter illa solum forma variat. Ex altera parte sponte sua ambo generis individua unit; quod hic a voluntate et libertate prolicitur, monstrat alias per necessitatem in homine duplici organo instructo, in hermaphrodito plus aut minus perfecto.

Quod illa nullam agnoscat impossibilitatem, illa ex altera parte statum polyporum aphroditicum monstris ex solo abdomine, ipsis genitalibus experte, consistentibus demonstrat. Aperte et tamen miro modo occulte in organis formandis ludit per excessus, aut per defectus aut per utrumque simul; tam hominem generat in partibus singulis quam in homine integro, incipiendo a molis usque ad foetum commixtum, duplicatum et concretum, immo usque ad individua separata; a foetu aphroditico usque ad hermaphroditum.

Non solummodo oppositiones externas ad unitatem conjungit, uti duo homines in unico corpore, aut genitalia externa utriusque sexus sed etiam in fabrica interna unius corporis, uti duo corda, duos uteros; cur non quoque sexualia virilia et foeminea conjungere posset? Et si hoc est, cur non convenirent illis utriusque sexus organis propriae functiones? Quod eo magis elucescet, quia homo in prima origine heramphroditus potentialis seu potius aphroditus est, et adhuc in dubio versatur, num organa sexualia sese evolvant, et an masculina quidem, an foeminea, an perfecta vel tantummodo imperfecta; et si perfecta sexualia opposita evolvantur per verum excessum nisus formativi; cur iis functiones convenientes denegare? An testiculus superfluus semen non separet, sicuti quatuor mammae in una eademque foemina simul lac secernebant?

Ex supra dictis concipimus quoque, transitum progressivum tantum, sed non adesse saltum in diversissimis hominis generationis productionisque speciebus; ibique se repetit generatio aequivoca aeque ac in infima animantium classe. Post Okenii generationis theoriam infusiora nihil sunt, nisi hominis elementa et graviditas spuria in mola formanda exoriens repraesentat, uti puto, in humano genere revera generationem aequivocam; talique modo natura generans sua generata per omnes formae defectivae et excessivae gradus, et diversissimos quidem in singulis humani generis individuis perducit, in iis repraesentans modo formam externam, modo internam bestiarum ordinum classiumque inferiarum, in quarumque organorum functionis formationisque imperfectae gradu quasi retensa remanet: sic de generatione, de ejusque organis.

Generatio universaliter sumta aut est aequivoca aut fit per gemmas, propagines, seu stolones, gongylos, bulbos et radicum germina, aut per copulationem. Generatio aequivoca ex se sine organis visibilibus perficitur, tantumque infusoriis, animalibus infimae organisationis, tanquam omnium vegetationis animalisationisque processuum elementis convenit, ideo-

quae nutritio illi correspondet; propagatione per gemmas et stolones regno vegetabili propria, copulationem quoque in plantis perfectioribus nobilioribusque conjunctam invenimus utpote per excessum vis plasticae seu nisus formativi in hominis aliorumque animalium individuis excessiva vasorum arteriosorum vegetatio generationem plantarum imitatur formando productiones parasiticas et organa membraque superflua; immo extremitates in genere praecipue palma manus, planta pedis, digiti eorumque ungues, cutis, capilli alibi praevalente natura vegetativa testantur. Actio in linearem magnetis formam vel in planum vis electricitatis substractum tendens praevalet actione cuboidea, quae ex natura sua omnia in corpora sphaeroida conformare innititur, ubi haec aliis praevalet, ibi mutilationes diversas extremitatum oriuntur; ubi autem vires priores excessive agunt foetus formationis evolutionisque tempore, orientur polyporum modo granuli, folliculi, seu radiculi generationem gemmarum stolonumque imitantes in corpore animali praecipue in ejus cute ut verrueae, aliaeque deformitates. Copulatio sola nomen generationis verae meretur, quia aliquod tertium ex reunione duorum inter se oppositorum generatur, et cum in generatione aequivoca non multo magis attractio et repulsio, seu juxtapositio et dissolutio observatur quam intima conjunctio; et per stolones et gemmas individuum semper se ipsum solum alio modo tantum propagat. Copulatio in diversis animalium classibus ordinibusque diversimodo peragitur. Reunio principiorum generationis oppositorum conceptio vocata, in quibusdam animalibus extra, in aliis autem intra corporis generantis cavum fit, modo a solo individuo organa viresque oppositas continente peragitur, quod hermaphroditus verus perfectus sibi ipsi sufficiens appellandus esset; modo conceptione intra- aut extrauterina organis sexualibus oppositis, in quocunque individuo simul praesentibus animalia funguntur, quorum unum alterius indiget, quamquam organis generationis oppositis instructum, sed a quolibet individuo modo duplici exhibetur; hanc copulam alternativam animantium hermaphroditicam appello; forsitan

inter has duas adhucdum species inest, cujus individua non tam ad generationem, quam ad stimulum invicem sui indigent.

Alius generationis modus fit per duo individua sexus organis singularibus differentia, copula simplex, cui praecipue mammalia et homines destinati videntur. Quamquam inter illos quandoque individua inveniantur, quibus modo sexus nullus, modo ambiguus, modo autem duplex esse videtur. Individua primae classis, propter omnem defectum vel imperfectionem organorum saltem ad generationem prorsus incapacia, aphroditi ut ea tertiae classis hermaphroditi vocantur. Inter has classes alia adest, quae transitum alternativum designat, ejusque individua ex alienatione nisus formativi orta nec foemina nec puer dici possunt, neutrumque et utrumque videntur. Hujus intermedii status individua hermaphroditos aphroditicos denominare placet, quia hermaphroditismus ille organorum animalium est status, ubi in uno eodemque individuo amborum sexuum genitalia bene normaliterque formata simul conjuncta apparent et utriusque sexus functionibus perfectissime funguntur. Nomen hermaphroditi a Hermete, Mercurio et Aphrodite, id est, Venere venit; nam nomen hoc compositum significat filium Mercurii et Veneris, qui in se reuniebat imaginem perfecti viri cum gracilitate et amoenitate foeminae ob vigorem et pulchritudinem parentum.

Fabula Ovidii nos docet, Hermaphroditum cum Nympha Salmace in unum corpus coivisse, ibique solummodo sexus diversos adhucdum apparuisse. Aphroditismus autem hermaphroditismo status est appositus, ibique penuria functionum sexus omnis adest. Sed hoc nomen ideae aphrodisiaci contradicit; remedium aphrodisiacum illud est, quod genitalia ad venerem invitat; illorumque actionem adauget; Aphrodite eadem est quae Venus. Verba enim, uti Poeata dicit; valent uti nummi. Praeter alios autores jam Fort. Licetus plura exempla monstrorum aphroditicorum nobis enarrat et nostris temporibus John Clark aphroditum ex abdomine

solo consistentem observavit. Nomine hermaphroditi aphroditi demno illum sexualium statum designo, quo sexus organa quidem sed neque virilia neque muliebria perfecte sunt evoluta, cum in uno eodemque individuo ambo ita commiscoantur, ut partim haec partim illa appareant, neuterque tamen sexus character perfectus, nulliusque officiis organa rite fungantur. Quod in pluribus plantarum animaliumque speciebus semper vel fere semper accidit, duo genitalium systemata in uno eodemque individuo esse unita, id in homine et in mammalibus raro tantum contingit, id quod plures naturae curiosi plenarie negant. Idcirco hac de re aut pro aut contra exstantia ab antiquissimis usque ad nostra temporibus perscrutabimur, et inventa nostra addemus. Historia nos docet, jam veteres habuisse ideam Hermaphroditismi et contenderunt quandoque in mammalibus hominibusque ipsis eum adesse; ast nescimus, quomodo conceperint ideam, via analytica seu synthetica, an experientia edocti hoc contenderint, an solummodo idea praeconcepta hermaphroditismi ex se et per se orta in observandis formae rarioris genitalibus eos seduxerit.

Etsi nostris temporibus lis de existentia veri et perfecti hermaphroditi inter homines et mammalia jam decisa videatur; et revera decisa est, quia non exstant exempla hujus generis incontestabilia; et cum magna evidentia praedici possit, talia nunquam inveniri; tentare licet tamen, adferre quaedam pro eorum probabilitate, quia in idea veri et perfecti hermaphroditismi nihil est contradictorii, et exempla huc pertinentia etsi contradicta et acriter impugnata nondum plenarie refutata sunt, et nunquam erunt, si non omnia, quae antiquitas nobis tradidit, in dubium revocare velimus. Quis nescit hodierni temporis prodigia! Quis nescit de magnetismo animali dubia orta! Facta infecta per dubia fieri nequeunt Lusus naturae varietatibus tam varius est et multiplex, ut vix natura in natura cognoscatur. Multa fiunt eadem, sed aliter. Anatomia comparativa nos docet, hermaphroditismum animantibus et quidem solis molluscis

[illegible] Tale [illegible] exemplum [illegible] Dr. Brenner [illegible] Caesarea. [illegible] hermaphroditus [illegible] animalibus. [illegible]

[illegible] hermaphroditum verum exemplum [illegible]. Cel. [illegible]

[illegible] hermaphroditus [illegible] perfecta [illegible]

[illegible]

Quamdiu non est, cur activitatem excessivam naturae in formatione organorum in genere negare possimus, sed potius varia exempla existentiam illius probent, tamdiu possibilitatem simultaneae evolutionis duplicatorum sexualium, immo et sexualium cum oppositis characteribus concedere necesse est. Observationes anatomico-physiologicas in hujusmodi disquisitionibus nos sequi oportet, et distincte exhibere, an ejusmodi formatio organi sexualis a regula normali discedens revera effectus activitatis excessivae nisus formativi, an mere opiniate sit, ac potius omne ex defectu activitatis nisus formativi vel tantummodo ex commixtione quadam casuum amborum defectus et excessus simul, id est, ex alienatione vis plasticae dependeat. Solummodo evolutione ex utrimque sibi oppositorum organorum genitalium, ex activitate nimia vis formatricis dependente, et in formatis organis oppositis simul quoque functio opposita locum habere potest; sed nequaquam in organis vi formatrici alienata aut defectiva; hic vix unquam sexus character praepotens apparebit, multo minus ambo simul et; plerumque alienatum nisum formativum seu potentia naturali recedentem aphroditismus concomitatur. Quare in accurata disjudicatione ejusmodi innormalis seu irregularis formationis genitalium omnia considerare oportet, quae discernendis ambobus sexibus inservirent. Non sufficit tantummodo genitalia virilia et foeminea in statu sano et naturali inquirere, inter se conferre, et causas insolitarum formationum et deformitatum primariae activitatis formativae embryonis in iis obvenientes eruere, sed praecipue, ubi interna disquisitio locum non habet, totus habitus maris cum illo mulieris est comparandus. Nam etsi corpus virile et foemineum inter se essentialiter differat, tamen sexus utroque in statu naturali adeo diversus apparet, ut eum etiam sine genitalium inspectione jam ex habitus formatione generali primo momento definire facile possis.

In hunc finem per decursum disquisitionis nostrae non tantum masculina et foeminina sexualia comparabimus et in quo conveniant et diffe-

rant, ostendemus, sed omnem habitum viri et foeminae in genere conferemus et inter deformitates eorum per excessum et defectum in variis casibus obvenientes naturalesque inter partium conditiones comparationem instituemus; et tali ratione eo facilius in casibus obvenientibus corrollaria pro possibilitate aut realitate hermaphroditorum eruemus vel contrarium exhibebimus.

De habitu corporis maris et foeminae.

Vir mulierem in genere magnitudine, vi, robore, corporisque animique firmitate antecellit, in illo praevalet vasorum seu irritabilitatis systema, ideoque exygenio abundat, quod non minus verum est, quam si clar. Akermannus dicit, propter oxygenii abundantiam marem vigore et energia foeminam praecellere; uti in viro organa respirationis pracvalent, ita in foemina systema reproductionis tam individualis quam sexualis; non solum apparatus digestionis et nutritionis prae ceteris evolvitur, sed totus habitus muliebris reproductioni genericae adaptatus formatur; vis plastica in corpore foemineo praeponderat; mulier abundat materia nutritia, mare pinguior crassiorque est; ast partes ejus sunt laxiores, minus evolutae, uti totum sceleton; praecipue in eo nobis argumentum sit thorax, cujus cavum virili longe angustius esse, atque ex quaque parte magis contrahi coarctarique nemo nescit. Non solum modo diametrum antroposterius a columna vertebrarum dorsi ad quamcunque sterni partem sumtum ad reliqui corporis rationem multo minus invenitur sed diametrum transversum itidem arctius, etsi thorax muliebris majori dilatationi idoneus est, quod a singulari sterni et costarum harumque appendicum structura formaque dependet; costae sceleti foeminei sunt a proportione Totius breviores, minus curvae et liberius articulatae: hoc thorax redditur ne minime quidem virili amplior sed mobilior solum propter majores et longiores costarum cartilagines; volumen ejus vix tertiam partem pectoris cavi virilis aedaequat.

Quia autem cavum hoc viscera immediate continens in foemina magis quam in mare angustatum est, etiam contenta minoris extensionis ac voluminis esse debere clare patescit, sic de corde atque de vasis majoribus et minoribus. Haec discrimina eo magis elucescent, si exquisitor per omnes corporis artus muliebris structura dominetur; evanescent differentiae in viraginibus et foeminis ad habitum virilem accedentibus utpote reciproce in viris characterem muliebrem possidentibus.

A mare lineamentis minus excultis et determinatis, aut alia tamen corporis partium singularium forma et ratione, majorique partium mollium laxitate minorique ossium quantitate atque pondere foemina est distincta; minor autem ejus longitudo non tam ex defectu materiae plasticae quam potius ex innata intensione ad approximationem formae globosae oriri videtur. Massa sceleti foeminei diminuta de ejus diversa ad totum corpus ratione in individuis sexu diversis testatur. Ratio ponderis sceleti virilis, si mas aeque ac foemina vigente aetate 21 annorum fruuntur, et utrique corpus est pondere 125—130 ℔, ossis exsiccatis ad massam Totius circiter se habet ut 10,5 ad 10,0 - sceleti muliebris autem solummodo uti 8, 5 ad 100. Praecipue terra acido phosphorico praegnata in ossium cylindricorum diaphysi parce difusa est; apophyses sceleti foeminei musculorum insertioni inservientes aeque graciliores debilioresque sunt ac manuum plantarumque pedum ossa irregularia, sessamoidea sic dicta, ad articulationes obvia. Ossa applanata coxarnm scapularum, sterni et costarum sunt multo tenuiora, utpote totum muliebre sceletum laevius. Thorax mulieris absolute sumtus semper virili contractior, coarctatiorque invenitur, ratione autem abdominis capitisque differentia haec jam major adhuc apparet; nimirum thoracis suprema pars angustior ejusque sternum est brevius; in viro corpus sterni manubrium suum longitudine bis, in foemina autem sesqui tantum superat.

Cavum abdominis in utroque sexu ex partibus similibus constitutum etiam valde ab invicem differt: abdomen mulieris cylindri excavati speciem aemulari et cylindricum fere a diaphragmate ad superius pelvis ostium videmus decurrere; in viris autem, quo pelvi proprius est, eo angustius redditur, adeo quidem, ut totum abdominis cavum et qui hoc investit, saccus peritonaei in viris pyriformis sit, basi ejusdem versus diaphragmatis musculum versa, cervice autem pelvi desinente, in foeminis vero huic figurae minus convenit. Quia pectus viro altius est, pelvis ejus quoque ad thoracem ratio minor, et integumenta communia abdominis a vasto thoracis inferiori termino versus ilei et pubis ossa obliquo ductu descendunt, ita quidem ut in regione pubis planum anterius lineae centrali corporis magis inclinet, quocunque etiam ulterius in angulum concurrat.

Hipochondria ex cartilaginibus sextae et septimae costae, porro ex costis spuriis octava nempe, nona, decima, undecima et duodecima constituta in viro magis versus inferiora descendunt et ad anteriora ducuntur quam in foemina, ubi ob majorem decrescentiae rationem osseae costarum partes lateribus tantum sustinendis impenduntur; exinde hypochondria muliebria maximam partem attactui virilibus mollia compressioraque sunt, talique modo foemina formam venustiorem gracilioremque acquirit. Pelvis maris et foeminae rationes reciprocae utpote musculorum glutaeorum extremitatumque inferiorum nimis sunt cognitae, quam ut comparatione indigerent.

In genere partes inferiores ad superiores ubique in ratione opposita se habent; diversitas sexus inversionem oppositionum plenariam efficit; thorax pelvi oppositus, viri irritabilitate excellentis, organon praevalens et centrale est, utpote regio pelvis qua centrum activitatis genericae productionis in foemina; ideoque partes eorum constituentes ratione sexus quo-

que magis minusve-sunt evolutae. Cum formatione praedominante thoracis virilis etiam omnia ejus contenta organisatione perfectiori excultiorique praecellunt; non solum vasa majora, cor et pulmones, sed et horum tracheae et larynx annexus magis evolvuntur et amplificantur; hinc fit, ut vox a pulmonibus, trachea arteria et larynge formata in maribus gravior, in foeminis vero praecipue formae venustioris acutior observetur; atque haec vocis indoles ita a sexu dependet, ut si vir primae vitae annis essentiali virilitatis parte privetur, nunquam ulterius barytonam et solis maribus propriam vocem acquiret. Talis eunuchus spermate carens in toto corpore ita permutatur, ut virili habitu omnino destituatur et foemineam formam quodammodo praeseferat. Larynx masculus ab osse hyoideo in facie anteriore colli magis prominet, nodum formans, pommum Adami vulgo vocatum; in foemina autem minus perspicuus ossique linguali propior est; insuper totius corporis muliebris superficies est magis plana, magis laevigata et tenuior et mollior quam in viro, qui cute pilosa et mento barbato consignitus; tandem in muliere bene normaliterque formata, nullis morbis corrupta a tempore pubertatis ad decrepititatem usque regularis profusio mensium sanguinea aut saltem mucosa; in viris autem non raro nocturna seminis emissio a somnis lascivis excita observatur, quod fluidum animalculis illi propriis et odore floribus berberum convenienti ab aliis humoribus praecipue distinguitur.

Sectio secunda

de prima genitalium formatione et de eorum diversitate sexuali.

Nostro tempore mos est in disquisitionibus physiologicis a simplicioribus organismis ad compositiores et altiores progredi, ait celeberrimus Albertus Mekel. Vita est rimanda ab infimo gradu, itaque et in disquisitionibus originis et formationis evolutionisque organorum genitalium eorumque mutuae relationis ratione sexus nobis est incipiendum a vita sexuali polyporum et actiniarum, paulatimque ad hominem tanquam naturae coronam progrediendum. Uti in omni animalium serie, ita etiam in humano embryone variae apparent formae cum illis comparandae, quas systemata nostra in inferioribus bestiis percurrunt. Embryo quoque in prima graviditatis periodo ratione genitalium his zoophytis comparari potest, et genitalia eo tempore certissime nondum adsunt; quia per totam hominis formationem evidenter elucet, organisationem genitalium solummodo versus totius corporis evolutionis finem protrahi ad perfectionem et jam decrescentibus organismi viribus iterum decrescere, functionesque illorum annullari. Prima eorum formatio sic tarda progreditur, ut post tertium graviditatis mensem vix discerni queas, an embryo mas an femella sit. Diligentissimus anatomiae physiologiaeque comparativae disquisitor Albertus Mekelius contendit, uti canalem intestinorum in inferio-

ris seriei bestiis, ita in prima embryonis formatione quoque intestinum primitivum prius adesse quam genitale primitivum. In animalium serie ascendente primo vis reproductiva individui et generis vix distinguitur. Vestigia distinctarum reproductionis et generationis virium quidem jam in polypis et actiniis inveniuntur; substratum vero utrique ibi commune est; unus tantum tubus nutritioni aeque ac generationi praeest; unus idemque canalis, qui autumno ova producit et edit, caeteris anni temporibus victui recipiendo et digerendo inservit; sed jam in altioribus animalibus, ubi organa reproductionis individui et generis omnino sunt ab invicem sejuncta, adhuc maxima analogia adest inter systemata genitalium et intestinorum tum quoad formam et structuram, tum quoad functiones. Omnium autem organorum forma simplex et primitiva obvelatur in homine turba partium auxiliarium, quae vitae altiori, ubi summa consumtio adest et citissima regeneratio exquiritur, sustentandae inserviunt, cum in inferioribus animalibus vita simplicior organis quoque simplicioribus tantum egeat. Paulatim igitur, si animalium seriem decrescentem observas, organa illa auxiliaria recedere, indeque formam magis magisque simpliciorem evadere videbis; tandem ista organa non nisi canales nudos nullis glandulis aut aliis processibus instructos repraesentant, deinde hi ipsi in unum coincidunt cavum usque dum omnis differentia evanescat, et unus tandem tubus utriusque functionibus inserviat. Ast non solum in inferioribus animalibus sed in avibus, immo vero in quibusdam mammalibus ipsis, organa chylo-uro- et spermato-poëtica nondum sunt plenarie separata. In tardigrado et castore viae urinariae et pars intestini inferior initium et ortum commune ducunt ex sacco pone anum sito, quem cloacam vocant. Immo deformitates monstrositatesque etiam inter homines non nimium raro inveniuntur, quibus ani, vaginae et orificii vesicae sit communicatio, quae adhuc de genitalium statu primitivo testatur, ubi primum genitalium externorum vestigium fovea quaedam cloacaeformis repraesentat, in quam vesica urinaria, genitalium internorum canales tu-

bulosi, et intestinum rectum simul hiant. In animalibus, quorum canalem urethralem et intestinum rectum cavum commune quoddam excipit, oriuntur quoque aut mediatius aut immediatius alii canales ad organa sexus conducentes, qui aeque ac genitalia serius quam organa systematis urinarii et canalis intestinalis evolvuntur.

In altioribus animalibus et in embryonis formatione progrediente canalis urinalis et meatus ad organa sexus conducentes ab ano quidem sunt sejuncti, inter se autem conjuncti remanent: praecipue in puello formando mox conjunctio eorum adhuc augetur, et unus idemque canalis aeque semini ejaculando ac urinis emittendis inservit; in puella prior formatio genitalium externorum magis servatur, magisque excolitur virilium opposito modo.

Quantum autem genitalia et intestina in viro differunt, tanta autem eorum in ranis similitudo femellis, ubi primo intuitu oviductus et intestina vix adhuedum distinguuntur. Similitudines organorum generationis et reproductionis in adulto homine praecipue viro adeo disparent, ut vix essent probandae, nisi ex anatomia physiologiaque comparativa animalium series et embryonis prima formationis evolutionisque historia adducatur; namque cum genitalibus intestina quoque complicantur et perficiuntur, ita tamen ut similitudine partium adnatarum primitiva similitudo non minus appareat, et in altissima adeo glandularum appendicumque analogarum formatione similitudo satis magna adsit; itaque veram et essentialem differentiam nec inter generationem et reproductionem, nec inter organa his functionibus inservientia inveniri a nobis posse perspicuum est.

Uti foeminae per eminentiam reproductio tam individualis quam generica convenit, et primam dimensionem actionumque dynamico-organicarum repraesentat; reproductio autem generis et individui accidentaliter tantum non essentia differt, ita et genitalia foeminea canali intestinali

similiora tam forma quam structura sunt. Quemadmodum in prima productione animali genitalia et intestina nondum differunt, ita genitalia primitiva altiorum animalium quoque simili modo primis temporibus aeque ac intestina nutritioni embryonis inserviunt, et nondum in masculina et foeminina distinguuntur, sed utrumque unum idemque uti in molluscis acephalis et aliis animalibus huic embryonis evolvendi stadio aequalibus apparent. Dein genitalia mox adeo alterantur, ut nutritioni corporis non amplius prospicere possint; ab utroque enim latere ita discedunt, ut altera pars priorem formam magis conservet et ulterius excolat, altera autem magis magisque contractione adeo mutetur, ut potius ductus angustissimos glandularum referat, quam intestina cibis pervia. Quemadmodum ergo genitalia foeminina magis contracta sunt quam intestina, sic etiam masculina genitalia foemininis contractiora observantur. Altior perfectiorque evolutio genitalium utriusque sexus et intestinorum pari passu progreditur, et miro quodam modo inter se convenit. Uti autem in evolutione totius animalis seriei organa digestionis reproductionisque individualis generatim aeque ac in humano embryone et mammalibus speciatim eodem fere et aequali tempore parique semper passu evolvuntur, quam organa reproductionis genericae seu genitalia, ita quoque alienatio seu depravatio nisus formativi in embryonis formandi primis stadiis non solum deformitates intestinorum sed et genitalium efficiet, quae in utroque systemate tanto majores gravioresque semper erunt, quo partium formatio earumque evolutio conceptioni adhuc propior sit, et formentur ratione defectus vel excessus organorum sexus aut hermaphroditi aut aphroditi diversi gradus, veri vel spurii, perfecti vel imperfecti, plerumque cum simultanea canalis intestinalis aut organorum systematis urinarii adjacentis mutatione.

Nam deformitates organorum uro- et spermato-poëticorum in altioribus animantibus, quid aliud sunt, nisi formae vis generalis formatricis

impeditae et alienatae, in inferiori animalium organorum evolvendorum gradu retensae, quae statui naturali animalium illorum ratione evolutionis gradus aequali correspondent?

De prima genitalium formatione nihil certi scimus: ast quia prima formatio fere omnium organorum ab origine eadem est, nos ergo analogia formationis aliorum organorum, praesertim intestinorum hac in re inquerenda ducat, cum organa reproductionis nutritionis et generationis absolute non differunt, sed e contra maxima analogia tum quoad formam tum quoad functiones utriusque systematis organorum ubique adest. Intestina autem in porco celeberrimus Okenius observavit satis maturo stadio, eorumque cum ovi tunicis coniunctionem optime evolvit; idem fecit Meckelius natu major in humano embryone, ubi intestina maturiori etiam stadio observavit, quam in porcinis embryonibus ipse Okenius. Nemo vero primam eorum formationem vidit. Observationes genitalium primae originis quidem desunt; fragmenta tamen de eorum productione exstant.

Utpote omnis formatio e fluidis prodit, ita sine dubio ex iis et omnium partium corporis animalis prima productio incipit. Liquorem illum initialem in mammalibus ambit membrana a physiologis tunica amnios vocata, quae in omnibus formationibus initialibus tenuis, pellucida, tunicis serosis similis conspicitur, et quae sola in organicae glutinosae materiae ambitu orta videtur, et tanquam membrana formatrix et primitiva mihi apparet. Tunc e fluidis globuli huc illuc natantes oriuntur, qui statim adhuc in unam massam sese contrahunt. Omnium autem organorum formationem fere eandem canalium nempe esse, iamiam celeberrimus Wolffius monuit. Ast primitiva partium forma rarissime, immo vero nunquam permanet, etsi primo ortu omnia organa simili fere modo se habent, quae postea plenarie differunt, aliterque mutantur, ut originis modus non amplius conspicere possis, quod solummodo ex augmentatione duarum virium inter se oppositarum nempe expansionis et contractionis

efficitur. Nisus enim formativus separationes continuo moliendo agit, ut electricitas. Intestina secundum simplicissimas formationis leges universales uti in aliis quam plurimis organis constantes formantur; quod in pullo incubato celeberrimus Wolffius tam clare nobis exposuit.

Tempus, quo genitalia in altioribus animalibus formandis oriuntur, fere idem est, ubi intestina formari incipiunt. In mammalibus intestina genitalibus paulo praecedunt, in avibus autem genitale primitivum prius adesse videtur, quam intestinum, uti Albertus Mekelius putat. Locus quoque, unde prodeunt, fere idem est, nempe spinae dorsi latera; genitalia simili intestinorum modo peritonaei duplicati productione, quam veteres jam mesometerium vocant, confirmata involutaque sunt. Modum autem, quo genitalia primo formantur, hucusque ex observationibus nondum cognitum ex analogia intestinorum formationis explicare posse censet Alb. Mekel; dicens: „A spinae dorsi lateribus laminae prodeunt, quas genitales recte diceres. Eae instar laminarum intestinalium in unam concrescunt a parte spinae atque tunc antrorsum sinuatae et clausae denique canalem simplicem referunt, intestino primitivo similem, utraque extremitate sine dubio primum apertum, qui in avibus femellis simplex permanet; in masculis autem humanis et in mammalibus omnibus uti et reptilibus, piscibus etc. secundum totam longitudinem dividitur, unde duo oriuntur genitalia primitiva, quae in femellis supra aperta permanent, in maribus autem obturantur, atque e quibus contractione et expansione totus genitalium tubus paulatim prodit. Primum embryonis rudimentum ab omni parte apertum tota sua superficie et externa et interna ab humoribus in quibus oritur, immediate alluitur.“ Hic status embryonis cum statu polyporum comparari licet, ubi sexus nullus adest.

„Provectiori magis aetate magna corporis cava formantur propriis tantum aperturis cum aquis illis, tunicis ovi contentis primo majoribus et

frequentioribus, sensim autem magis contractis et partim prorsus evanescentibus communicantia.

Duo vero adsunt ejusmodi ductus in embryone primo satis ampli sensim autem angustiores facti et serius ocyus prorsus obliterati, quorum alter urachus ad genitalia, alter ductus omphalo-entericus seu vitello-intestinalis ad intestina pertinet. Ille genitalia cum allantoide ita conjungit: ex angulo illo acuto, in quem genitalia primitiva seu corpora vermiformia Okenii conveniunt, inferioribus suis extremitatibus canalis exit, ad umbilicum paulum ascendens, funiculum umbilicalem percurrens donec ad ejus finem pervenerit, ubi cito amplior factus quasi infundibiliformis in allantoidem ipsam continuatur.

Hic intestinorum cavum suscipiens ex angulo illo acuto, in quem intestinum superius et inferius conveniunt, per funiculum umbilicalem recta via pergit ad vesiculam umbilicalem seu tunicam erythroidem, in quam extremitate sua infundibiliformi denique abit. In avibus similia omnino adsunt, nisi quod funiculo umbilicali deficiente ductus illi breviores sint. Ita urachi in avibus analogon e cloaca, recto intestino et genitalibus communi, ad umbilicum ascendit, eumque permeans vesiculam petit, allantoidis analogon, quam Hallerus vesiculam umbilicalem nuncupat. Sic etiam in avibus ductus vitello intestinalis umbilico percurso in saccum vitelli abit."

Urachus, qui humorem nutritium in tunica contentum ad genitalia et systema uropoeticum deducit, e media tunicae allantoidis parte prodit et vesicae urinariae inseritur. Tantum de primitiva genitalium forma, illorumque formatione probabili ex analogia aliarum partium organicarum desumta.

Celeberrimus Okenius disquisitionibus suis in embryonibus porcinis institutis, quibus abdomine clauso intestina jam satis prolongata erant, et

in quibus simul cum extremitatibus externa quoque genitalia apparebant, semper invenit duo organa, psoas musculi regionem tenentia, longa, cava, quarum magnitudo productionem modo peractam significabat; nam omnes partes in formatione adhuc versantes ratione cum toto corpore habita longe majores sunt, quam in formatione diutius jam protensa. Altera enim extremitate diaphragmati haec corpora incumbunt, altera in urachum prope abdominis apicem desinebant; et sic totam longitudinem cavi abdominalis in parte posteriori psoas musculo adnata occupant, primoque intuitu intestino crasso non absimilia sunt. Renes, glandulaequae superenales, testiculi aut ovaria, vesiculae seminales aut uterus nondum apparebant. Mekelius autem natu major putat, e magna illa massa renes, renesque succenturiatos uti genitalia quoque evolvi. Okenius jam organa ea in porcis canibusque observata oblonga, cava, vermiformia autem pro uteri cornuum et ductuum deferentium rudimentis habenda declarat; renesque cum eorum glandulis in parte posteriori utriusque organi vermiformis vidit. Wolffius in pulli embryone quatuor dierum miram renum figuram observavit. Renum substantia primo totum abdominis cavum occupat, ea paulatim in media sua parte, spinam dorsi tangente, tenuior facta tandem hic prorsus evanescit, unde duae resultant massae spinae latera tenentes, quae sensim contractae renum formam accipiunt; primo apparentes sunt proxime ad spinam dorsalem utrimque locati; ejusque directionem sequuntur; sunt fere lineares valdeque longi, incipiunt in regione thoracica retro pulmones et descendunt, usque ad infimam intestini recti extremitatem, cui utrimque inseruntur. Omnia autem desunt vestigia ovarii et testiculorum neque oviductus aut ductuum deferentium ulla adsunt rudimenta sed praeter intestina et corpora haec pro renibus ab eo habita nihil prorsus adest in abdomine inferiori. Descriptio haec omnino cum oviductuum formatione a lateribus cordis retro pulmones incipientium bene convenit; neque autem ureteres distinguere, neque in parte superiori vasorum conglomeratorum quid simile detegere potuit; sed

[illegible] Nempe [illegible] hanc Wolffianam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Ar[illegible] partium forma [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Genitalia, quae utriusque [illegible] simplices breves tubos retulerunt, [illegible] [illegible] subeunt. Post legem [illegible] forma [illegible] e lamina plana in tubum [illegible] [illegible] est; ita ut ampla extremitate [illegible] et [illegible] permeant. Hae mutationes autem non [illegible] diametri [illegible] sed expansionibus et contractionibus fiunt, attamen illa forma primitiva per omnes partium mutationes [illegible] tubarum Fallopii ostium [illegible] uteri cervix est oppositus: vagina in [illegible] quam prope ostium hymene constrictum; ita ductus ejaculatorii, urethra et ureteres cum pelvi renali, cloaca avium etc. omnes [illegible] ampliores incipientes mox contractiores evadunt. Contractiones hae modo majores modo minores praecipue in iis regionibus obveniunt, ubi duae canalis partes inosculantur, ibique non raro valvulae formantur. Illae autem expansiones et contractiones in prima embryonis formatione nondum tam distinctae adsunt, sed uti primo massa corpus constituens ita forma partium quoque aequalis, nullae fortes distinctiones; omnia continua et partes modo aliquo vix percipiendo separatae, nulli sacci coeci, nullae valvulae; quo major est discrimen inter uterum et vaginam, eo

longius quoque cervix uteri in vaginam producta est; ubi autem substantia uteri et vaginae vix distinguuntur, uti in rosoribus, nulla uteri cervix in vaginam imminet; sic quoque in foetu humano uterus in vaginam prolatus oritur seriori tempore viribus oppositis expansione et contractione; et discrimen inter has vires eo distinctius est, quo altior eorum formatio. Physiologiae comparativae est regula generalis, quo animalia sunt inferiora, eo imperfectiora quoque eorum intestina et genitalia; cujus quidem regulae tamen exceptiones non rarae inveniuntur.

Simplicissima utriusque forma canalem simplicem referens in hydra actiniisque juncta apparet. In vermibus autem jam organa diversa generationi et chylificationi sunt dedicata, quae canales tubulosos referunt multis coecis appendicibus instructos. In helice pomatia autem jam hepar e vesiculis constans et ovarium hepati simile structura perspicimus. In ranis porro intestina et genitalia quam maxime pollent analogia et in avibus et mammalibus ejusmodi formae non raro apparent. Praesertim forma intestini coli saepissime in genitalibus foemininis obvenit, et in utroque systemate similia ligamenta muscularia plicas et haustra producunt, ut in oviductu gallinae, in utero cervarum etc.

Similitudines genitalium et intestinorum non tantum in diversis eorum formationis stadiis sed in diversis quoque aliis vitae circumstantiis uti in graviditate magis aut minus perspicuae se produnt. Tres adsunt partes muliebrium, tubae nempe, uterus et vagina, quas cum diversis tractus intestinalis regionibus comparare possumus, uterum cum ventriculo, aut intestini coli initio, tubas cum coecis avium appendicibus, valvula Bauhini et uteri cervix unacum conveniunt similitudine. In cuniculo valvula ad ostium tubae eodem propemodum se habet uti valvula coli; et claudit introitum ex utero in tubas, quo probari censemus, semen virile in fructificatione ovulorum vix unquam ad ovaria pervenire. Omnes valvulae autem embryoni primis temporibus non minus quam animalibus

inferioribus desunt uti molluscis etc. Genitalia intestinis quoque structura parenchymatis et functione, neque forma solum, sunt similia, uti Albertus Mekelius, cujus descriptionem genitalium formandorum pedetendim secuti sumus, optime exposuit.

Uterus gravidus tempore graviditatis varias ventriculi formas clarissime percurrit; uterus intestiniformis in animalibus inferioribus intumescit aut pluribus locis uti in rosoribus multiparis aut uno tantum ut in plurimis majoribus animalibus, ubi simul sacci seu fundi rudimentum aliquod apparet; in homine autem maximus uteri fundus tempore gruaditatis invenitur; dum uterus virgineus praesertim ante pubertatem, magisque adhuc bicornis in embryone, longe inferiorem formationem ostendit.

Genitalia masculina quidem eodem fere uti foeminina intestinis simili modo formantur, sed ab intestinis jam multo magis forma disparent. Virilia ad muliebria ita se habent, uti haec ad intestina. Genitalia foeminina intestinis contractiora ita quoque masculina magis quam foeminina sunt coarctata. Genitalia masculina ventriculo et intestinis tenuioribus cum eorum glandulis annexis; muliebria autem intestino coeco cum ejus appendicibus et intestinis crassis cum eorum haustris magis correspondent.

Uti hepar pro canale intestinali ita quoque testiculi pro genitalibus sunt primae glandularum formationes, quae in embryone et animalium serie ascendente apparent. Testiculi et ovaria e genitali primitivo parvo initio excrescunt; ovaria autem femellis propria nihil habent glandulosae structurae nisi in embryone et in infantibus neonatis, ubi ea racemosa et vesiculosa in formam piri dimidiati aut phialae ex uno tantum latere compressae formatam, reperi. Testiculi aeque ac ovaria a duplicatura peritonaei sunt involuta et retenta; membrana illa serosa non solummodo ductus deferentes et tubas Fallopianas sed maximam uteri partem obducit. In viris autem peritonaeum vesiculis seminalibus non tam arcte quam utero adjacet, sed eas in transgressu suo a vesica urinaria ad intestinum

rectum quasi per occasum tantum obtegit. Laminae vero tenuis quidem per ductus deferentes in vesiculas seminales continuatur, quarum superficiem externam glabram nitidamque reddit.

Uterque testiculus a primis animalium quatrupedum exordiis, in media abdominis cavitate intestinis circumdatus, ad renum marginem inferiorem haeserat aeque ac ovaria, in progressu graviditatis autem sensim descendit, et per paratam pro eo transmittendo viam in scrotum delabitur, ut, reclusa nunc versus infimum vertrem porta, rarissime, et in plerisque individuis nunquam in pristinum domicilii locum recedere possit. Homo nunc cum plerisque quadrupedibus, nisi elephantus aliaque minoris molis bruta, quorum recensum Hallerus et Cuvierus nobis dederunt, forsan ab hac regula exceptionem faciant, id fere commune habet, ut vel unum, vel utrumque testiculum, vel mox a partu vel paulo post illum, scroto inclusum gerat. Descensus ille testiculi constans ligamento rotundo tubuloso, ab Hallero cylindrus, ab Huntero autem gubernaculum vocato, regitur. Huic gubernaculo Hunteri in foeminis quidem quoque similis formatio ligamentorum uteri teretum correspondet; attamen haec ratione decursus atque insertionis in uteri substantiam a gubernaculis illis, quae testiculis inseruntur, discrepant. Utriusque organis formatio ortum suum communem ducit in facie exteriori et anteriori ossium pubis fibris cellulosis laxis, quarum quaedam e textura illa fiibroso-cellulosa scroti, (h. fig. V. Tab. II.) aut pudendi labiorum majorum, aliae autem e periosteo ossis illius prodire videntur, funiculum communem formantes, qui annulum abdominalem petit, eumque permeans fibras diversas e musculis abdominalibus (g. fig. V. Tab. II.) obliquo interno et transverso nempe, circa hanc regionem ortas, recipit. Joh. Hunter in erinaceo testes in abdomine remanentes vidit, ad quos cremaster ex obliquo interno ascendebat. In abdomine pone annulum inguinalem processus peritonaei vaginalis Halleri sinum coecum in inferiori extremitate sua formans funiculi

adjacet, eum obducit, et una cum illo ad testiculum ascendit, quem quoque involvit, et ad posteriorem testiculi marginem discedens, in duas peritoraei laminas excurrit, inter quas vasa spermatica testiculum adeunt.

Circa heptomadem vicesimam testiculi locum primitivum relinguere incipiunt, ita quidem ut in descensu successivo eorum margo convexus, (in fig. V. lit. d. d. extrorsum versus) antrorsum spectat. Ut plurimum testiculi descensus versus finem septimi aut initio octavi mensis est peractus; immo Hunterus in sexto mense jam in scroto puelli testiculos invenit. Hoc praecipue illis medicis forensibus sit dictum, qui nimium in dijudicanda foetuum masculorum aetate ad testiculorum descensum respiciunt. Ipse jam initio quinti mensis eos in abdominis annulum utrumque intrantes observavi, quo tempore plerumque alias adhuc in eodem loco versantur, ubi in foeminis fere semper ovaria per totam vitam retinentur.

Descendunt in corpore virili vasorum energetica versus peripheriam actione et gubernaculi musculique cremasteris contractione ex abdomine in scrotum testiculi, ait Akermann; ast cur idem in elephanto, et aliis animalibus, non nunquam in homine ipso, a musculo cremastere non perficitur?

Descensu peracto gubernaculi illius substantia sensim diminuta et tandem cum fundo tunicae vaginalis testiculi confusa omnino evanuit; ita credit Hunterus. Ast alii autumant, gubernaculum cavum prope annulum abdominalem sic inverti uti in intestinis volvulus formatur, aut ac si chirothecam (sive digitalia) exueres et unum, alterumve digitum tubulosum in eam retraheres, ut exin postea superficierum extremitatumqne tubi, seu cylindri ratio quoque omnino sit inversa; extremitas gubernaculi Hunteri inferior post descensum supra, superior autem infra, et facies interna, ex fibris praecipue carnosis musculorum abdominalium formata, nunc sit externa, cremasteremque repraesentet, facies externa au-

tem gubernaculi, adhuc in abdomine remanentis, et ab id obducente peritonaeo formata, nunc intussuscepta sit, et superficiem internam processus vaginalis constituat. Etsi in guberculo embryonum humanorum Hunterus nunquam fribras illas musculi cremasteris detegere potuit, ex analogia in erinaceo etc. tamen ad earum praesentiam concludere licet; ideoque haec opinio de natura et proprietate gubernaculi prae omnibus aliis veritati potissimum accedere videtur; quamquam, si tubum illum funiculi fibrosi, intra abdominis cavitatem a peritonaeo constitutum, excipias, in gubernaculo testiculorum nihil cavum, nihil tubulosum detexi.

Akermann autem sentit, gubernacula Hunteri inversa postmodum in viris funiculo spermatico adjungere et membranam, scroti dartos, constituere.

Wrisberg in comment. societ. Goett. T. I. ratione tunicae dartos ita scribit: „Scrotum in primis mensibus ad sextum usque respectu reliqui corporis nimis parvum, mox laxum et oedematosum, mox duriusculum et arcte constrictum, semper tamen vacuum, et loco cavi, quod tandem compraehendere testiculum debet, molli cellulosa repletum, cujus fibris intermixtus est fasciculus fibrarum tenax et robustus, ligamentum testis constituens; et in alio loco dicit: — „Cremasteres et stratum fibrarum muscularium, hucusque nondum satis cognitum, quod ex perinaeo membranae dartos admiscetur„; et iterum in alio loco, ubi tabulas musculorum praeternaturalium perinaei in raro coallitu intestini recti cum vesica urinaria explicat; —„ dartos, cui stratum fibrarum muscularium e sphinctere ani externo ortum immiscebatur„.

Has opiniones autorum diversas de gubernaculi natura et origine reuniebam in descriptione mea supra allata, et quisque rei peritus clare videbit, tali modo tantum omnia phenomena in testiculis obvia esse declaranda. Natura fibrosa tunicae albugineae ejusque septulorum internorum ex conjunctione cum Hunteri gubernaculis tantummodo perspicitur.

Omnes enim corporis humani formationes fibrosae inter se per totum systema cohaerent, et quaeque forma totius systematis per varias mutationes et formas intermedias mox in aliam oppositam abit; immo in quibusdam organis systema fibrosum cum aliis organismi particulis ita intime conjungitur, ut aliquod organon tertium, duarum partium oppositarum concurrentium indifferentia, neque uni neque alteri systemati adnumerandum, appareat. Sic membrana albuginea testiculi quoque qua metamorphosis systematis serosi cum systemate fibroso considerari potest. Testiculi solummodo in animantibus infimarum classium ordinumque desiderantur, ubi propagatio generis per gemmas tantum, et divisione corporum peragitur; inveniuntur autem in omnibus animalibus columna vertebrali praeditis, immo in pluribus aliis columna illa carentibus, uti in molluscis, crustaceis, insectis et quibusdam vermibus; sed numero, forma, structura et situs aliisque rationibus multum variant. In mammalibus quidem scroti praesentia aut absentia praecipuum tantum producit discrimen, in aliis autem brutis quoque forma et structura testiculorum valde differt.

In mammalibus quadrumanis, in fere omnibus carnivoris, uti in urso, fele etc. testiculi semper in scroto retro pelvim infra anum sunt locati; in hyana, mustela, didelphe etc. scrotum elongatum testes nullo septo distinctos ante pelvim dependent; in lepore autem scrotum in duos sinus sat distinctos est divisum. In pachydermis, in viverra testiculi in perinaeo sub cute stricte sunt appositi; in camelo et lutra autem in inguine. In pluribus mammalibus praecipue tempore oestri venerei unus alterve testiculus in abdomen recedit uti in chiropteris, in talpa, soricibus, in erinaceo et in fere omnibus glirum generibus; porro in histrice, castore et sciuro; in aliis autem mammalibus uti in echidna, ornithoryncho, elephanto, mygale, amphybiis mammiferis et in cetaceis. In avibus aliisque animalibus inferioribus testiculi semper in abdomine remanent; ubi autem in scrotum descendunt, ibi peritonaeum prae se propellunt, quod in for-

ma lagenae saccum testiculum funiculumque spermaticum continentem format, cujus collum in annulo abdominale sedens modo apertum modo clausum observatur: apertum in illis animalibus, quibus testiculi in abdominis cavum recedunt; clausum et obliteratum in homine et mammalibus, quorum testes, descensu jam peracto, semper in scroto pendent, etsi non rarae exceptiones hujus regulae in corporibus humanis occurunt, praecipue si processus vaginalis non testem et funiculum ejus tantum sed simul intestini partem ex abdomine delapsam aut sat insignem aequae quantitatem in cavo suo continet; casus prior hernia congenita, ulterior autem hydrocele congenita vocatur. In herniis congenitis parietum processus peritonaei coallitum, ut clare patet, per totam longitudinem ejus cavitatis tantum impedit, quantum spatii impleat. In hydrocele congenita autem quandoque contingit, ut non obstante aqua processus vaginae Halleri collum supra contentum illud obliteretur. Talem casum Clar. Schregerus observavit, et nunc mihi aequalis occasio arridet. Eodem fere jam tempore, ubi collum processus vaginalis occludi incipit, saccus ejus supra testiculum magis coarctatur et angustatur; et nunc septum oblique in cavitate ita tensum apparet, ut in latere interno altius collocatum sit et cum pariete, cui inseritur, angulum sat acutum formet, quo inferior vaginae pars testem cingens, aëre inhalito, in superiori ejus fine processus vermicularis formam obtinet.

In casibus rarioribus quandoque cavitas inferior in superioriorem aperta permanet auxiliante processu illo vermiculari, de quo Schregerus nobis exempla communicat. Aderant nempe in uno latere duae hydroceles congenitae discretae, una in superiori, altera in inferiori vaginae Halleri cavo; ductus perangustus cavum inferius, cum testiculo aquam simul continens, ad superius perducit, et saccos tumidos aqua repletos vesicularum gemellarum in piscibus simili modo conjungit. Saepe autem illud vaginae septulum omnino defiderari videtur; et processus vaginalis

unicum tantum cavum constituit. Diversitas haec non nisi variis descensus testium modis explicari potest. Testiculus ex annulo abdominali semel praegressus brevius aut longius in inguine haeret; natura autem illico hiatum, descensu ortum, occludere tendit et eodem quidem modo, ac si serius testiculus ex inguine in scrotum delabitur, unde processus peritoinae supra testiculum jam clausus de novo ex abdomine detrahitur. Orificium hujus processus nunc priori modo aut obturatur aut apertum persistit. Si autem vagina illa revera in duo cava disparia est divisa, unum altrumve ejus aut utrumque simul aquam continere quadoque contingit, factum quod jam Arnaudus cognovit, et Schregerus lucidius nobis adhuc exposuit, et exin comprobavit, omnem hydrocelen, cysticam ab autoribus vocatam, potius esse hydrocelen congenitam in cavo superiori processus vaginalis. *)

---

*) Le plus ordinairement, toute la production du Peritoine depuis l'anneau jasqu'un peu au dessus du testicule, se ferme et s'oblitère de facon, qu'il ne reste plus de cavité entre l'anneau et le testicule; celui-ci se trouve presque entierement isolé dans sa tunique vaginal; il n'est adhaerent à cette tunique que par sa partie postérieure. Mais dans certains cas, comme lorqu'il y a eu une hernie de naissance, le col de la production reste vuide dans l'espace, qui se trouvé entre son embouchure et un peu au dessus du testicule, quelquefois même jusqu'au testicule. Si la cavité est bornée au dessus du testicule il y a alors deux cavités bien sensibles; sçavoir celle qui est depuis l'anneau jusqu'à la partie, que l'on nomme communement la cloison, et celle qui est depuis cette cloison jusqu'au dessous du testicule. In arrive de la que l'hydrocele se trouve située tantôt au dessus du testicule et tantôt autour de son corps, excepte par derrière, mais plus ordinairement dans ce dernier endroit: quelquefois l'un et l'autre de ces hydroceles existent ensemble: c'est pourquoi on est obligé dans ce dernier cas de percer l'Hydrocele superieure aprèsque les serosités de l'inferieure ont été vuidèes.

Nomen: congenitum in sensu latiori est receptum, nempe ubi hydrogeneseos diathesis jam a prima vita permanet; nam alias cavum superius post foetus exordium mox obliteratur et solummodo stria alba textus cellulosi magis aut minus conspicua aetatis aliarumque circumstantiarum ratione ruinam processus vaginalis superioris partis consignat: cujus formationis jam F. Mekelius in annotationibus suis ad translationem operis magni Cuvieri de Anatomia comparativa mentionem fecit, et Schregerus in libro suo: Experimenta Chirurgica, in nostra vernacula conscripto, clariorem expositionem et delineationem exhibuit. Observationes hujus autoris accidere posse nos docent, ut canalis cavi superioris, ante quam abolitur, in diversis locis constringatur, et coarctatur, immo quandoque in plures cavitates singulares separetur, unde in hydrogenesi plures hydroceles cysticae simul infra inguen oriri possunt. Tunicae vaginalis Halleri inferius testem et parastam cingens cavum in adultis sub nomine tunicae vaginalis testiculi propriae in regula per totam vitam permanet.

Vasa funiculi spermatici quoque membrana propria e tela cellulosa laxe conflata involvuntur; haec membrana utpote renum involucrum celluloso-membranosum qua lamina externa processus peritonaei est consideranda. Tunica autem vaginalis communis pro teste, epydidymide et funiculo spermatico simul praecipue ex condensatione tele cellulose circa annulum abdominalem obvenienti mea opinione ita formatur, ut vagina cellulosa musculorum abdominalium prius in gubernaculum Hunteri, serius in cremasterem continuatur, et faciem externam in infante recens nato laxe ambiat. Densitas hujus membranae mox testium mole augmentari videtur.

Involucrum ovariorum testibus alia ratione consimilium multo minus invenitur, quia haec organa in regula semper in abdomine remanent.

Organis, quae veteres ob formae functionumque similitudinem testes seu vesicaria nominabant, Stensonius primo nomen ovariorum dedit. In primis eorum formationis temporibus nec ratione situs nec formae et structurae a testiculis multum differunt, ita ut exin sexus character nullo modo distingui possit. Ovaria aeque ac testiculi e genitale primitivo excrescunt, et extremitate sua superiori renum margini inferiori stricte adposita sunt.

Ovaria cum tubis Fallapianis aequali ratione conjunctae apparent, utpote ductus deferentes testiculis inhaerent. Rosenmuellerus in embryonibus foemineis duodecim heptomatum tubas margine tumido circumferentiam ovariorum externam arcte ambientes videbat. F. Mekelius superiorem tubarum finem in embryonibus foemineis adhuc junioribus obcoecatum invenit. Ipse quoque in embryonibus duodecim heptomadum, ubi extremitas superior ovarii praecipue autem finis tubarum extremitati renis inferiori arcte adhuc adhaeret, marginem illum tumidum Rosemuelleri sub forma coni inversi, apice suo uterum versus descendentis inveni. Duplicatura peritonaei enim a cono tubarum, ad marginem exteriorem ovarii excurrente et in adultis in censum ligamentorum serosorum, sub termine technico alarum vespertilionis relato, eo tempore tenuis et ita arcta apparet, ut eam vix unguam conspicias, nisi teraculo, stilove conum illum ab ovarii margine externo (in adultis autem antrorsum magis verso) dimoveas.

Tubarum extremitas superior, seu basis coni illarum, extremitati renum inferiori adjacens mihi jam apparuit denticulata, ejus separatione facta; ast dentes hujus limbi leviter fimbriati, oculo non armato vix conspicuae, in latere interno ab ovarii extremitate superiori non fuerunt avellandae; sed cum illo arcte cohaerent. Ovarium hoc tempore fere formam vesiculosam antherae oblongatae similem refert. In embryone quatrimes-

tri, ubi ovaria aeque ac testes jam a renum margine sunt seperatae, fimbriae in basi tubarum conoidea haud difficile distinguuntur. Spatium intra marginem externum ovarii et internum coni tubarum extensione peritonaei, ligamentum alatum duplicatione formantis, jam ampliatur, et tubarum conjunctio cum ovariis per unam alteramve fimbriam valde brevem solum effecta apparet.

Rosenmuellerus in omnibus foetibus foemineis maturis in illa duplicatura peritonaei intra ovarium et tubarum coni obveniente, observavit corpusculum conicum, minus pellucidum, vasculosum, cujus basis tubam versus jacet, apex autem in superiorem ovarii finem desinit. F. Mekel in infante duodecim heptomadum illud corpus conicum vasculosum sat insigne ex numerosissimis canaliculis vasculosis consistens invenit. Breves illi canales viginti circiter numero multum et vario modo tortuosi serpentantes in basi sua multo ampliores quam apicem versus, ubi magis magisque convergentes evanescunt. Duae laminae a peritonaeo formatae, sub nomine alarum vespertilionis compraehensae, tubas margini exteriori et anteriori adjungunt, hic iterum discedunt et utramque ovarii superficiem qua membrana communis obducunt. Per laminas illas vasa spermatica et nervi superiori ovariorum parti adeunt; ovarii extremitas inferior cum uteri membrana externa, a peritonaeo oriente, et cum substantia ejus ligamento utero-ovarino conjungitur. Fibras illas cellulosas sat insignes funiculum formantes in infante octo dierum inveni, ubi simul structura vesiculosa ovariorum in superficie eorum convexa oculos ferit. Praecipue ligamentis illis ovaria in abdominis cavo detinentur; etsi vero haec per totam vitam exceptis quibusdam casibus rarioribus in abdomine remanent, situm tamen illum primarium ad renis marginem inferiorem quoque relinguunt. In quarto jam graviditatis mense ovaria sensim sensimque magis eadem in via ac testiculi descendunt, usque pelvis minoris aperturam versus, et in utroque latere musculis psoas incumbunt, quem situm in futurum raro tantum relinguunt.

Analogia tubarum Fallopianarum cum ductibus deferentibus testiculorum, aeque ac similitudo uteri cum vesiculis seminalibus non minus evidens quam analogia ovariorum et testiculorum elucet. Utèrus et vesiculae seminales nihil sunt nisi ductuum deferentium et tubarum ovariorum intumescentiae et sacci coeci, qui omnibus embryonibus in primis temporibus deficiunt. Uterus embryonum humanorum e tertio et quarto graviditatis mense adhuc bicornis est; immo non raro quoque in foemella ipsa humana haec forma uteri bicornuta per totam vitam observatur. Uterus bicornis fere omnibus mammalibus communis est. Tempore graviditatis septimanae octavae et nonae cornua uteri versus vaginae fundum descendunt, quin in formam uteri intumescant; eodem modo sine intumescentia et formatione vesicularum seminalium in cloacam hiant. Ductus deferentes in tertio graviditatis mense pone ostia cloacalia in utroque latere externo, tubae autem plerumque in latere interno et magis in ostio ipso intumescunt, ita ut plerumque unum orificium utrique tubae communis sit, et in humano embryone in angulo illo, in quo tubae in orificium commune conveniunt, sinus seu fundus excolitur.

In piscibus primum est vestigium ductus deferentis, qui autem ab initio canalem rectum refert, intestino primitivo similem, altera extremitate paulo ampliorem altera angustiorem, nullis adhuc vesiculis distinctum. Haec primitiva forma saepissime obliteratur aliis mox accedentibus. Plerumque locus aliquis ductus cujusdam in prima formatione jam amplior magis adhuc intumescit, vesicam formans; tunc paulatim saccus coecus in intumescentia illa apparere incipit, qui magis magisque excrescens et prolongatus, denique radice, ubi e ductu priori excrescebat, contractior fit. Haec formatio praecipue de ductibus deferentibus et vesiculis seminalibus valet, quibus similes formae in animalium serie conveniunt. In ursu uterque ductus deferens aequali semper diametro tendit seorsim ad penem. In rosoribus, lepore, castore utriusque ductus cavum finem versus am-

plificantur. In elephante praeter vesiculas seminales proprias a pene remotiores utriusque lateris ductus deferens saccum alterum format. In anatibus vesicularum seminalium analogon ductuum deferentium intumescentia repraesentatur; item in raja et squalo vesicae seminales intumescunt e ductibus deferentibus atque sic ex hacce appendice coeca vesiculae seminales sensim prodeunt, quas in statu perfecto cum vesica fellea corporis humani comparare possumus, quae equo et aliis animalibus omnino deest sed ductus hepaticus ibi est peramplus, cujus morbosa dilatatio in sinus coeci formam abiens quandoque productum vesicae felleae haud absimilem refert. Tale exemplum videndi dignum mihi monstravit amicus meus Hyppotomiae Monachensis Professor Dr. Schwaab. Casus hic pathologicus assertum Alb. Mekelii de formatione vesicularum seminalium et vesicae felleae clare probat.

Non solum maxima analogia inter vesicam felleam et vesiculas seminales quoad modum formationis sed quoad constructionem quoque et functiones horum organorum simul adest. Similitudo diversarum membranarum uterum et vesiculas seminales aeque ac tubas et ductus deferentes constituentium ubique modo magis modo minus apparet; uniuscujusque horum organorum membrana externa est illa communis, a peritonaeo orta, secunda est celluloso-fibrosa et in quibusdam casibus mere fibroso-musculosa, ut in pluribus mammalibus cornua uteri et fimbriae tubarum, et in utero humano gravidatis tempore; dein rete vasculosum et tandem tunica mucosa subsequitur.

Vagina nil nisi sinum coecum glandulosum partis posterioris urethrae, a glandula prostata formatum constituit; urethra virilis autem, cujus pars exterior et anterior usque ad tertii mensis medium adhuc est divisa, cujusque apertura jam in regione partis membranaceae mox formandae e bulbo adhuc fisso patet,

non tam ad vias urinarias quam ad semen rite emittendum pertinet; quod praecipue ex structura genitalium muliebrium et hyperspadiaeorum perfectorum perspicimus, in quibus canalis urethrae jam in regione bulbi desinit; in muliere autem vesica urinaria parvo collo intra divisa nympharum corpora cavernosa se aperit. Nymphae, corpori cavernoso urethrae correspondentes, a vagina magis versus uterum retrahuntur; ita quidem ut in viro emisio urinae per urethram, cui usus praecipuus seminis ejaculatio sit, per accidens tantum contingat, cum ob situm vesicae urinariae alio modo non posset fieri, quin functio principalis hujus canalis cesset.

Mas et foemina ab omnibus partibus sibi invicem sunt oppositi; praecipue autem eorum formationes genitalium atque functiones. Vir foeminae dat accipienti semen ejaculando in vaginam; virilia foras, muliebria intus tendunt. Exceptis testiculis omnium virilium vis plastica vix non impenditur ad tubos ejaculatorios formandum; in muliere autem omnia sexus organa semini accipiendo, recondendo, ulteriusque fovendo sunt destinata, ideoque jam a primae formationis tempore genitalia masculina a foeminis, et vice versa, haec ab illis recedere debent, ut obtineant praedestinati sexus organisationem, alio modo nuspiam marem bene formatum, aut foeminam perfectam conspiceremus, uti hermaphroditi aphroditi clare testantur; in quibus totalis partialisve sexus distincti character desideratur. Neque mares veri neque foeminae sunt perfectae, quia eorum sexus character e statu intermedio indifferenti versus unum alterumve polum distinctum recta via non praegressus, sed directio ejus fuit interrupta a casu quodam et in aliam sexus ambigui et incerti formam mutata. Immo revera in serie genitalium virilium tantas formas in progredienti formatione retensas aut alienatas, quae hermaphroditi, aphroditi, androgyni, hypospadiaei etc. nominantur, cognoscimus, quantae deformitates e prima embryonis mala formatione ortae in sexu secundiori obser-

vantur, quarum non nullae formas defectivas vel in formatione retardatas et retensas exprimunt uti vagina cloaciformis; aliae autem formas excessivas nisu formativo aliento ortas uti hermaphroditos aphroditos gyandros et tribadum cohors. Quod autem nondum est, et adhuc formari debet, et bene aut male jam formari potest, immo vero forte neutiquam formabitur, eo tempore certissime principium rei alterius esse non potest: exin elucet, puellum nunquam esse puellam, et sexus jam a conceptione destinari, cujus formationem et evolutionem quidem postea deprimi, alterari, nunquam autem totidem in oppositum polum perfecte formatum mutari. Forsitan expressiones illae: formatio et evolutio partium hic quasi ac synonima sumtae, aures quorundam lectorum offenderent, cum ratio nominum illorum tamen non alia sit, quam theoria evolutionis aut partium germine praeformatarum ad epygenesin seu ad generationem partium formatione successiva ortarum, quae autem ab omnibus physiologis e diametro sibi invicem oppositae declarantur.

Ast epygeneseos theoria illi evolutionis opposita non minus falsa et erronea quam haec intelligentiae nostrae apparebit, cui utraque unitim sumta ad generationis phaenomena declaranda vix sufficiunt, quia omnis conceptus et definitio essentiae unius rei nihil nisi idearum nostrarum ab illa abstractarum formalis expressio sit. Epygeneseos ad illam evolutionis theoria se habet ut forma ad essentiam. Consueti sumus utramque ab invicem sejunctim considerare, cum natura ipsa tamen nunquam vires a corporibus, neque formam a materia separet. Cum materia ejus forma quoque creatur, cum individuo ejus genus et sexus quoque praedestinatur, cujus characteres autem in successu temporis evolvuntur, aut per occasum quemdam destruuntur, aut morbose alienantur. Ast uti linearis actio magnetis versus punctum intermedium ex utroque latere evanescit, et polis suis ratione vis insitae declinat et inclinat, ita quoque utriusque sexus character ratione gradus perfectionis diversus et pri-

mis temporibus semper indistinctus apparebit. Embryo ibi est homo genericus sine genitalibus polyporum modo; in hoc stadio eum hermaphroditum potentialem et aphroditum realem nominare licet, saltem quoad aspectum et notiones nostras, quia ejus directio sexualis adhuc in determinata videtur. Genitalia primitiva autem semel jam formata mox adeo alterantur, et ab utroque latere in puelli, puellaeve formatione ita discedunt, ut eorum similitudo primitiva vix appareat.

Genitalia foeminea non minus quam virilia formatione ad eorum perfectionem relativam progrediuntur, quam masculina. Uti primo nullas vesiculas seminales conspicis, ita quoque nullum uterum observas; immo uterus, qui vesiculis seminalibus correspondet, perfectior est, quam vesiculae illae; contra autem in viro testiculi ovariis perfectiores aestimantur; ovariorum etsi alias testiculis situs primarii et functionum ratione consimilium textura tamen magis cellulosa et spongiosa, testiculorum autem parenchyma magis vasculosum apparet. Quemadmodum autem testiculi organisatione perfectiores et vesiculis seminalibus minus perfectis sunt oppositi, ita quoque in mulieribus ovaria utero opponuntur, qui tamen ad illa rationem habet, uti polus negativus ad positivum; vasa enim spermatica muliebria sunt prioris originis ideoque multo majoris dignitatis quam arteriae uterinae; quare quoque ovaria inter omnia mulierum sexus organa primum sunt formata. Organa sexualium muliebrium sperma praeparantia in omnibus animalibus, quae copulatione propagantur, sunt sola qua principalia et summa consideranda, cum iis deficientibus quaeque foecundatio, immo vero extrauterina sic dicta, impossibilis redditur. Tempore graviditatis autem ratio polorum inter uterum et ovaria quodammodo invertitur, tunc temporis uterus impraegnatus super ovaria praedominat. Tempus autem, ubi fimbriae ovariis arcte adjacentes ovulum solutum assumunt, summum momentum indifferens esse videtur; quo facto. ovaria maximam eorum dignitatis partem amittunt, uti stamina et

stigmata fructificatione plantarum peracta decidunt. Ovaria et arteriae spermaticae quidem tempore graviditatis quoque volumine sed magis accidentaliter auguntur, quia inversio polorum solummodo mediante vasorum actione perficitur.

Uterus gravidus omnia organa in circulum suae activitatis centralis conatur conferre. Vesiculae seminales in viris autem semper testiculis subjectae remanent, earumque organisatio multo imperfectior quam ea testiculorum apparet. Omnes glandulae genitalium virilium perfectius organisatae reperiuntur, quam lacunae et cryptae mucosae omnes per vaginam dispersae, quibus in viris glandula prostata, et eae a Cowpero denominatae correspondent; immo tota vagina nil aliud nisi parenchymatis spongiosi glandulae prostatae dilatatio in saccum amplum, qui magnam lacunam, innumeros folliculos et cryptas mucosas continentem, repraesentat; praecipue autem illae lacunae et cryptae mucosae versus exitum hujus lacunae majoris, quam vaginam vocant, praesertim in anteriori et posteriori ejus parte coagmentatae et collocatae, quae congressu venereo in foeminis permultis praesertim salacibus magnam quantitatem fluidi alicujus, a veteribus semen muliebre vocati, emittunt, corpori prostatico respondent. Dionisius Chirurgus Franco-gallorum, dum in introitu in compendium suum artis obstetritiae de partibus mulieribus loquitur, eas enarrans glandulae prostaticae mulieris mentionem fecit, quin situm ejus describeret, sub qua sine dubio nodum illum spongiosum (Prostata Graefii) in pariete anteriori vaginae pone collum vesicae urinariae situatum, quandoque tam prominentem, ut introitum fere omnino quasi hernia seu prolapsu vaginali claudatur, intellexerit. Ast non in anteriori pariete tantum sed in posteriore quoque tale corpus spongiosum prostatae simile (Prostata Bartholini) invenitur, quo effatum meum de prostata glandula in vaginam mulierum dilabente jam magis confirmatur, quod adhucdum lucidius ex comparatione omnium organorum sexualium maris et foeminae

precipueque ex anatomiae pathologicae casu, a me observato et infra adducendo, apparebit. Fere omnes physiologi nostri aevi, de comparatione et analogia partium genitalium utriusque sexus dissertantes, nominatim Celeb Akermannus in infantis androgyni historia hanc glandulam cum substantia spongiosa uteri comparaverunt; cui opinioni etiam Clar. Professor Tiedemann in opusculo suo de acephalis germanice conscripto accedere videtur; cum dicit: testiculi aeque ac ovaria utero conjunguntur, et paulo inferius: urethra virilis est vaginae muliebris analogon; cum tamen jam alio loco dixit: in masculo embryone 16 heptomatum labia majora rimae genitalis raphe conjuncta scrotum formant, et labia minora concreta et a glande penis protracta urethram constituunt. Ast neque situs neque forma, neque structura neque functio analogiam illam inter uterum et glandulam prostatam comprobant. Uterus in directione tubarum Fallopianarum est positus, uti vesiculae seminales cum ductibus deferentibus cohaerent; ductus ejaculatorii autem omnino cum collo et orificio uteri conveniunt; ita quidem ut non raro collum et orificium illis ductibus simili modo duplicata observentur. Collum uteri versus orificium externum sacco spongioso vaginae circumcingitur, utpote canaliculi seminales corpore prostatico. Si ductus deferentes et vesiculae seminales magis se retraherent, glandula prostata quoque partim sequeretur, corpus ejus attenuaretur, excavareturque vaginae simili modo, ut meatus secretionibus vesicularum seminalium ductuumque deferentium, per ductus ejaculatorios emittendis, remaneat; atque omnino perinde esset, an talis ductus ejaculatorius simplex et orificium colli uteri vocatum, an duplex sit, uti in virili corpore invenitur; ubi utriusque canalis aperti fines, qui ostia seminalia dicuntur, in urethram patent retro prominentiam quandam oblongam ex ipsa urethra assurgentem, quae, attenta figura, caput gallinaginis, aut granum hordeaceum, vel a situ inter ostia seminalia, caruncula seminalis appellatur, et praecipue fibrarum semimusculosarum continuatione ex angulo anteriori corporis trigoni versus

vesicae urinariae collum obvenientis et membrana ureterum fibrosa expandenda formati, constituitur. Hic locus finem externam vesicae urinariae et canalis urethralis initium designat, qui foeminis fere omnino deest, nisi pro ejus formatione analoga nympharum rimam accipere velis, inter quas tamen urinae excernendae virili opposito modo ante ostium vaginae sat bene deorsum ducuntur; in viro autem lotium super glandulae prostatae faciem superiorem (anteriorem) emittitur, et ab urethrae corpore spongioso, nymphis analogo, sursum profertur. Itaque in physiologia de urethra muliebri in sensu recepto sermo non sit, quod orificium urethrae in muliere dictum, nil est nisi colli vesicae apertura et corpus spongiosum pone collum ejus e vagina propendens et a quibusdam pro bulbo urethrae muliebris habita, nil nisi pars principalis glandularum corpori prostatico analogarum in vagina diversomodo dispersarum.

Praecipue variae vesicularum seminalium et uteri formae, quae in mammalibus diversis occurrunt, analogiam utriusque organi clare comprobant. Vesiculae seminales fere in omnibus mammalibus inveniuntur, in quibus autem distinctae vesiculae desiderantur, uti quibusdam plantigradis, in omnibus digitigradis, et didelphibus, porro in ruminantibus, phoca vitulina, echidna et ornithoryncho, saltem ductuum deferentium intumescentiae illis veseculis analogae observantur; in illis animalibus autem, quibus vesiculae seminales adsunt, semper ductus ejaculatorii, uteri collo correspondentes, ductum deferentem et vesiculae ejusdem lateris ostium excipiunt. In equo ductus ejaculatorius seu canaliculus seminalis valde decurtatur; in cavia porcello et in mure ratto L. uterque ductus deferens in ductum, utrique vesiculae seminali communem, patent; porro in lepore et cuniculo vesica seminalis format cistum simplicem, quem ductus deferentes ductu communi valde amplo adeunt. Memoratu dignum est, quod in his animalibus, ubi ductus deferentes et vesiculae seminales utriusque lateris inter se communicant aut communicare intenduut, cornua uteri ab invicem fugiant, et seperatim existere conentur.

In diversis mammalibus, in quibus vesiculae seminales inveniuntur tam forma quam structura aeque ac uterus valde variant. Tempore pubertatis semine replentur, ex cujus abundantia praecipue oestro venereo valde tument. Vis, qua contentum liquidum ejaculatur, jam aliquod substratum irritabilitatis suponi licet. Et revera in vesculis et uteris perfectius organisatis textura fibrosa ne minime quidem est deneganda. Fabrica spongiosa et cellulosa cum corporum cavernosorum penis et urethrae substantia multum convenit. Haec substantia fibrosa et elastica est altior metamorphosis systematis fibrosi in corpore universo continui; oritur e membrana ductuum deferentium fibroso-cellulosa, et in humano corpore jam formari incipit, ubi illi ductus adproximati vesicae urinariae adjacent. Ductus magis intumescentes et tortuosi sacculos coecos formantes decurrunt, et facies interna canalis vesicularum seminalium modo reticulata apparet; et merito Caldanius membranae illi fibrosae, quae inferiorem vesicularum partem circumcigit, musculi officium contribuit; immo in elephante verus musculus seminis detrusor adest.

Uterus, in quo substantia fibroso-cellulosa multo magis sed alio musculis simili modo efformata est, in simiis, edentatis et tardigradis simplex invenitur uti uterus humanus, et corpus a collo plus aut minus distincte separatum, sed forma ejus jam est magis prolongata, et insuper tardigradis et edentatis animalibus triangularis. In lemuribus, in animalibus carnivoris, exceptis pedimanis, in plerisque gliribus, in ruminantibus, solipedibus, amphibiis mammiferis et cetaceis uterus vario modo est complicatus, ita ut modo aliqua pars voluminis uteri, modo tota ejus longitudo in cornua divisa inveniatur illa regione excepta, quae uteri collum vocatur; in cavia paca et cavia porcello autem vix colli vestigium adest, et margo tumidus ostia utriusque cornu a vagina separat. In lepore timido, cuniculo et in muribus quodque cornu peculiari margine tumido a vagina separatur, et tali modo uterus redditur perfecte duplex. In di-

delphibus exempla uteri triplicis et quatruplicis, simulque compositi obveniunt, nempe duo cornua ovalia ad latera incurva a tubis Fallopii tortuosis et anguste contractis clare distincta, propriis orificiis ab invicem haud longe distantibus, attamen separatis, annuloque valvulae simili praeditis, in cavum tertium, valde compositum patent, cujus fundus maximam uteri partem constituit, retrorsum autem cavitas ejus angustatur, et sinu coeco in waginam desinit. In utroque latere tertii uteri cavitatis, quae sola pro vero utero est habenda, haud procul orificiis utriusque prioris uteri, cornua ovalia formantis, duo canales angusti, ostiis sat amplis oriuntur, mox reflectuntur et in descensu ansam formant; postea autem illi sacco coeco supra jam memorato adproximantur, quocum ad similem altitudinem in vaginam transeunt. In mammalibus phalangistis, canguris, in didelphibus opusso et phascolomo illud uteri tertii cavum denuo septo quodam in duas partes est distinctum. In tardigradis et edentatis uterus, etsi alias utero humano valde similis, a vagina tamen non amplius ore tincaeformi aut valvula aut margine tumido quodam separatur, quo animalia haec jam oviductuum formationi in avibus adproximantur. In histrice nullum vestigium orificii uterini invenies, ita quidem ut apertura uteri in vaginae initium incidere videatur. Quandoque aditum orificii uterini prominentia vaginae quadam praegravatur, uti in vacca et ursa foemella.

Quemadmodum in embryone humano et in variis vitae humanis circumstantiis crassitudo uteri substantiae valde variat, sic quoque in animalibus perfectionis gradu diversis. In simiis solum uteri parietes substantia crassa aequali ac in homine formari videntur; in omnibus aliis mammalibus multo sunt tenuiores praesertim in didelphium cavitate media. Haec varietas probabiliter a majori vel minori perfectionis organi evolvendi aut jam evoluti gradu dependet. Summa perfectio parenchymatis uteri durante graviditate observatur. Graviditas utrina autem in didel-

phibus ob pelvis angustiam valde brevis et imperfecta est, cum proles vix semipollicem mentientes et non raro vix viginti unius gran. pondus excedentes, jamjam in matris mammarum marsupium, continuatione cutis formatum, in symphysis ossium pubis regione situm et genitalibus partus hujus praematuri tempore propriis musculis admotum, accipiuntur, in quo quaeque earum uni altrive mammarum inhaerent; ideoque evolutio systematis fibrosi quoque in partium genitalium parenchymate valde imperfecta et supressa est; atque ex rationibus oppositis in aliis mammalibus multo perfectior apparet, immo in quibusdam praecipue in ruminantibus materies fibrosa veram naturam musculosam induit.

Uterus mammalium simplex in superficie interna irregulariter est sulcatus; in uteris cornutis autem rugae longitudinales communiter observantur aeque ac in tubis ipsis; raro tantum autem rugae transversales occurrunt, uti in viverra, in qua conniventes apparent.

In mammalibus uterus sicuti directio totius corporis secundum horizontem decurrit, et ubi uterus bicornis invenitur, ibi regionem pelvis excedit. Cornua ejus et tubae ex illis ortis, in utroque columnae vertebrarum latere, ad renes usque ascendunt, ibique desinunt in fimbrias, quibus ovaria adjacent. In mammalium genitalibus foemellis quoque ligamenta lata non solum sed etiam lig. rotundum et utero-ovarinum simul adsunt; et in quibusdam animalibus majoribus sublimioribusque fibrae musculares intra laminas duplicati peritonaei obveniunt, quibuscum ovaria et tubae inter se connectuntur; alius fasciculus musculosus autem et quidem reliquis major intra laminas illas ab ovario versus collum uteri descendit, eique inseritur, quo ovaria ad uterum in abdomine firmiter retinentur. Uteri forma et structura graviditate valde mutatur; uterus humanus formam globosam assumit; ille mammalium bicornis autem a numero embryonum contentorum, quibus aequalis expansionum numerus correspondet, vario modo permutatur.

In didelphibus minimum discrimen inter uterum gravidum et non gravidum apparet, quod sine dubio a minori embryonum evolutione in matris utero dependeat. Canales illi ansiformes e tertio uteri cavo in vaginam conducentes, ut Homeus refert, conceptione peracta clauduntur, et in ejusdem cavi appendice coeca, in vaginam prominenti, alia oritur apertura, cujus circumferentia durante graviditate sensim augetur et qua proles in vaginam et abhinc in marsupium proveniunt.

Uteri loco in ornithoryncho et echidna solummodo duo canales tubulosi cylindrici, a membranis tenuibus formati, occurrunt et uterque tubus seu canalis proprio orificio immediate infra vesicam urinariam se aperit in sinum, qui urinam ab orificio vesicae excipit et in cloacam, etsi alias cum urethra virili multum convenit, immediate continuatur.

Ast inter omnes genitalium partes sane nulla invenitur praeter glandulam prostatam, quae jam in uno eodemque sexu majoribus mutationibus subjecta esset; nam jam in pluribus mammalibus masculis cum immutatione formae ejus quoque nomen amisit, et ab autoribus ob analogiam formarum nomine vesicularum seminalium accessoriarum consignitur; in corpore foemineo autem pars ejus analoga adeo differt, ut utriusque organi comparandi similitudo fere omnino praetervisa sit, cum tamen extra omnium dubium vagina muliebris glandularum muciparantium et cryptarum mucosarum diffusione solummodo naturam suam sinuosam et glandulosam acquisiverit. In mammalibus glandula prostata non raro in unum aut plures sinus magis aut minus distinctos formata observatur; vesiculae seminales enim nil aliud quam prostatam, in multos et numerosos sinulos, sacculos et coecas appendices diffusas, constituunt; et si prostata quandoque unicum corpus tantum formare videatur, plerumque tamen ductus sinuum ejus excretorii in plures ramulos et sacculos inter se conjunctos dividuntur.

Glandula prostata aut ejus formatio analoga est urethrae musculosae pars plus aut minus constituens, quum praesertim urethra vaginae muliebri similis redditur. Prima seu interna urethrae pars, cui prostata in posteriori illius parte adjacet, fibris crassis, fortioribus et densioribus quam vesica formatur, quarum stratum externum transversaliter super prostatam qua musculus ejus transversus, partim autem sub nomine musculi Wilsonii illam urethrae partem, quae isthmus vocatur; arcte adjacet.

Haec urethrae pars in diversis mammalibus ratione longitudinis et latitudinis, seu amplitudinis multum variat, praecipue ratione longitudinis alius urethrae partis, anterioris spongiosae nempe; quae initium suum ad bulbum urethrae capit et ad glandem usque excurrit. In bulbo urethra amplior redditur et non raro sinum coecum seu saccum recurrentem repraesentat, in quem glandulae Cowperi contentum suum ejaculant. Posterior urethrae pars musculosa non semper immediate continuatur in partem spongiosam; sed supra sinum, bulbo urethrae formatum, paulum transit, et in superiorem parietem urethrae spongiosae se aperit, uti in quibusdam ruminantibus etc.

In individuis pene prolongato spatium urethrae partis musculosae ita est diminutum et angustatum, ut vaginae formam plenarie amittat, in aliis autem, brevi pene solum constitutis, vario modo amplificatur, et plicas format plus aut minus constantes. Solummodo in genere arctomys semper rugae seu plicae adsunt, quae in directionem oppositam excurrunt, et ab eminentia quadam longitudinali in urethrae facie inferiori oriuntur, unde ejus cavum inaequale fit. Glandulae Cowperi in hoc genere sunt cava sicuti in sciuro et in quibusdam aliis. Verumontanum seu caput gallinaginis, in cujus utroque latere ductus ejaculatorii in urethram intrant, et ubi communiter quoque ductus excretorii prostatarum aperiuntur, fere in omnibus mammalibus invenitur.

In elephantis verumontano sinus profundus glandulosus continetur, qui e quatuor aliis sinubus glandulae prostaticae liquorem excipit. Glandula prostata atque omnes ejus formationes analogae ita sunt collocatae, ut earum ostia excretoria in partem urethrae musculosam haud procul ab orificiis vesicae urinariae ductuumque deferentium pateant. Hominis urethra in sua pariete posteriori, ubi prostata adjacet, sinum haud profundum, in embryone autem e quarto graviditatis mense sat insignem format, qui crista seu eminentia longitudinali, caput gallinaginis vocata, quodammodo in duas partes divisas apparet. Urethrae sinus ille ergo ratione orificii vesicae urinariae in eodem loco invenitur, ubi in foemina alius sinus illi analogus occurrit, quem vaginam vocant.

Ast analogia haec tantum clare perspicitur, quando non urethrae virilis partem posteriorem solum in diversis mammalibus cum vagina sed et pudenda muliebria, seu partes genitales externas cum virilibus externis adhuc in formatione versantibus comparaverimus; tunc inveniemus plenariam analogiam inter scrotum et majora pudendorum labia, et inter nymphas et corpore cavernoso urethrae, cujus canalis rimae vulvali seu nympharum sulcui correspondet. Vir sic consideratus quodammodo puellam atretam constituet, et vice versa puella hominem hypospadiaeiformem scroto diviso.

Primis embryonis formandi temporibus nullas partes genitales externas invenimus; hae enim iternis formatione succedunt et cum genitalibus simul plerumque prorumpunt. Primo in regione pubis tuberculum seu colliculus apparet, cujus medium mox rima finditur, unde labiorum et scroti primordia oriuntur. Interim alterum tuberculum provenit, varietatis sexus ratione, aut penem, aut clitoridem formans.

Ex observationibus ab Autenriethio, Tiedemanno et Mekelio natu majori institutis clare perspicimus embryonem in primo formationis tem-

pore ante quintae septimanae graviditatis finem omnibus characteribus sexus externis ut plerumque etiam omnibus corporis aperturis v. c. ani, oris etc. carere. In embryone quatraginta quatuor dierum Celeberr. Autenrieth primo intra funiculum umbilicalem et prominentiam ossis coccygis tuberculum seu colliculum valde exiguum, qua principium, seu rudimentum genitalium mox formandorum observavit; in alio embryone quinquaginta duorum dierum genitalia foeminea primo sub forma parvae rimulae infra colliculum, in formam semilunarem prominulum, aurique externae, formationem inchoanti, non absimile, apparent. Omnis apertura prius oritur, quam prominentia, quae ei adjacet et quaeque forma ab initio ubique est aequalis. Colliculus ille mox in clitoridem excrescit; et in quibusdam mammalibus uti in foemella, in lepore haec genitalium foemininorum formatio remanet.

In septimam septima aut octava jam tuberculum illud, in corpus clitoridi simile prominulum et in facie ejus inferiori rima quadam, in ani foveam excurrenti, divisum mutatur. Clitoris in septimana distinctior et erecta penis in modum ex angulo duarum plicarum planarum prodit; glans ejus in nodum rotundum terminata, inferne a rima pudendorum finditur, et primum vestigium labiorum majorum sub forma parvarum cutis plicarum oblongarum apparet, quae sensim in dorso penis clitoridei evanescunt, quin eum obtegant.

Versus septimanam decimam vel undecimam fovea seu apertura ani a rima pudendorum per partem cutaneam transversam primum perinaei rudimentum formando separatur; labia externa volumine auctiora inter se margines rimae pudendorum tumidos, ad glandem clitoridis excurrentes simulque nympharum rudimenta constituentes, continent. Versus septimanam duodecimam fovea genitalis ab ano jam fraenulo, seu ligamento interlabiorum separari incipit.

Versus septimanam decimam quartam tandem in pluribus individuis margines rimae pudendorum tumidi illi, primum ab ano incipientes, puellum formando conascuntur in urethram, quae nunc plicis cutaneis in suturam distinctam, raphen sic ductam, connexis obtegitur, in aliis autem individuis marginibus illis in puellarum formatione progressiva nymphae excoluntur. Attamen hoc tempore in inferiori penis clitoridei facie rima urethralis ad glandem usque excurrit, quae autem septimanam decimam quintam vel decimam sextam versus denique ad glandem usque concrescit et sic anteriorem quoque urethrae partem undique constituit clausam, parte illa glandis excepta, ubi ejus apertura occurrit. Sutura seu raphe, ex conjunctione plicarum cutanearum rimae genitalis orta, nunc ad glandem usque sese extendit et sub forma et nomine fraenuli pone angulum inferiorem rimae sive aperturae genitalis disenit.

In puellis rima illa genitalis primitiva semper aperta permanet, attamen exinde non eruenda puto, quae Clar. Prof. Tiedemann deducere vult, nempe genitalia muliebria nil esse nisi formae in inferiore organisationis gradu retensae.

Retensio individui cujusdam in inferiori, quam par est, gradu, monstrum aut productum deforme repraesentat. Mulierum organisatio autem non est virili inferior sed illi e diametro opposita, quod etiam in specie de earum genitalibus valet. Quis minoris aestimat imaginem foeminae formosae quam maris perfecti, quis minus admirat excelsam pulchritudinem foeminae amoenitate, gracilitate, dignitate muliebri, ut ita dicam, majestate condecoratae, quam virum corpore sano et atletico praeditum. Quemadmodum foemina in genere virum reproductione praevalet, ita quoque eorum genitalia organis vis reproductivae sunt magis conformiter organisata et ad summum reproductionis negotium, ad reproductionem generis nempe, destinata. Ex hac praedestinationis causa genitalia muliebria

rima pudendorum initialii divisa quidem remanent, ast haec divisio non est remora in inferiori organisationis gradu, sed deviatio in altrum virili polum oppositum. Quisque infans ex innata praedestinatione aut in positivum aut in negativum, aut in masculum aut in foemineum polum tendit, et quaeque alienatio aut rentensio, quisque excessus aut defectus virium plasticarum aut productum formatione retensum, aut alienatum aut excessivum aut defectivum efficiet; neque autem embryo masculus in formatione retensus vel alienatus nunc in alium polum perfectum vertitur; sed remora aut alienatio ejus exprimet stadium intermedium magis minusve perfectum. Poli differentes solummodo ex indifferentia eorum dissiliunt, nunquam autem polus positivus e negativo orietur.

Si jam in primo embryonis formandi stadio sexus character foemineus praevaleret aut potius solus adesset, nunquam aphroditos aut hermaphroditos et multo minus adhuc foeminas deformes inveniremus, atque necesse foret, ut in mundo nil nisi foeminae existerent, aut momentum in ulteriori formationi genitalium intraret, ubi una vice modo polus foemineus se conservaret, modo autem convictus in alium oppositum in virilem nempe abiret. Si ipsi tale momentum puellis illis primariis concedamus, tunc iterum stadium illud intermedium ante sexuum differentiam habebimus. Nam si in hoc momento puella jam perfectior formata adesset, quomodo fieret, ut uterus in vesiculas, quae ductibus deferentibus in altero situi uteri opposito latere adjacent, dispesceret, porro ut vagina in glandulae prostatae formam se contraheret, et posteriorem urethrae virilis partem constitueret. Ast objiciatur: haec organa in illo momento nondum sunt sed initio tertii mensis tantum formari incipiunt; tunc autem eodem jure dicere possumus, organa sexus virilis primitiva in foeminina seriori formationis tempore abire i. e. haec ex illis formari, praecipue si in imbryone et infante recens nata corpus illud conicum a Rosenmuellero primum observatum cum epydidymide conferamus. Ideo statum illud in-

termedium aphroditicum, quem Akermannus et Autenrieth jam affirmabant, quoque assumere non haesito, praecipue cum in embryone uti in polypis et actiniis reproductio individualis non sit distincta, et allantois et urachus aeque ac erythroides et ductus omphalo-intestinalis nutritioni universali embryonis inserviant. Genitalia primitiva quoad aspectum neque virilia neque muliebria dici possunt et quemadmodum hepar in primo ortu suo neque pulmo est neque bilis secernendi sed praecipuum sanguificationis organon, ita et genitalia in primis temporibus plurimum ad embryonis nutritionem, id est, ad individui ipsius reproductionem, conferrunt.

Sectio tertia

de genitalium anomaliis et praecipue de formationibus hermaphroditicis.

Ex disquisitionibus hucusque per diversas ordines et varia mammalium genera institutis maximam analogiam organorum utriusque sexus quidem adesse sed regula, his animantibus naturali, semper cuique individuo singulo tantum alterutrius sexus characteres contribui, clare prodit.

Si hanc comparationem organorum sexus utriusque per omnes animalium classes in serie descendente conferamus, poli oppositi sibi invicem semper magis magisque adpromiximantur, usquedum omnis sexus character evanescit. Jam in mammalium infima serie ut in ornithoryncho et echidna utriusque sexus organa haud multum differunt. Quemadmodum in foemella nullum uterum conspicis, sic quoque in masculo nullae vesiculae seminales invenies, et uti vagina in cloacam abit, sic quoque in masculo nulla apparet urethra. In ornithoryncho penis cum glande bifida pluribus ostiolis munita in cloacam absconditur. Canalis seminalis membri virilis in dua cava terminatur, a quibus semen per glandis biscupidis ostia ejaculatur. (Vid. Zoologie v. D. F. Tiedemann)

In echidna; cujus penis glans quatrilolobularis imperforata invenitur, non solum urina sed semen quoque in cloacam effluit. Pars urethrae

musculosa, quae hic sola adest, et anteriori seu inferiori canalis recti intestinalis parti conjungitur secundum ejus longitudinem, circiter duos pollices mentientis, quo distantia vesicae urinariae ab intestinali cloaca consignitur, decurrens in sinum coecum disinit, et musculo ani sphinctere simul et communiter circumcingitur. Parietes hujus sinus in quarum (posteriori) superiori haud procul ab illo sinu coeco apertura per ductum valde brevem ad cloacam conducit, insuper praecipue in ejus fine coeco a fibrarum muscularium strato sat insigni roborantur. Sane mira formatio! sine dubio in ornithorynecho apertura in cloacam conducens contractione fibrarum muscularium spastica in congressu venereo claudatur, ut semen in canalem penis propelletur, quin in illam cadat.

In avibus jam ovarium simplex adest; tuba simplex et uterus unum canalem tantum intestiniformem repraesentat; vagina et pars intestini recti inferior cavum commune constituunt, quod ureteres ipsos excipit et cloaca vocatur. Cloaca vaginae vicem gerit, in piscibus, qui coëunt, cheloniis, sauriis et inter reptantes in ophidiis. Testiculi autem bini in avibus masculis quidem adsunt sed in abdomine immediate retro pulmones ante renum partem anteriorem jacent; sic ibi quoque in pluribus animalibus reptantibus remanent; in quibus iterum ovaria bina, illis avium insigniora, inveniuntur.

Organa sexualia in animalibus inferiorum classium multo minus sunt excultae; communiter praeter cloacam et ovarium nullum aliud generationis organum offerunt. Valde est memoratu digna illa simplicissima genitalium muliebrium formatio in reptilibus praesertim in diversis bufonum speciebus obveniens. In dorso foemellae pipae magnus folliculorum seu sacculorum numerus observantur, qui a cute hujus animalis constituuntur, et in quibus pulli ejus formantur eorumque metamorphosi evolvuntur. Ubi primum organa genitalia apparent, cloaca qua punctum intermedium om-

nium canalium pelvi excurrentium simul apparet, et ex ea quasi formatio genitilium perfectior tandem prodit.

Genitalia cum toto systemate uro poëtico in prima formatione adeo arcte cohaerent, ut utrumque unum et idem tantum eo tempore referat. Renes eodem loco ac genitalia primum apparent, et e communi massa cum testiculis prodeunt, vesicae urinariae ope urachus cum genitalibus conjungitur; substantia in utroque systemate eadem, eaedem formae, una denique apertura utriusque exitum format; ureteres angustiori orificio inferiori terminati in plica quadam, a tunicis vesicae aut cloacae formata, exeunt, et quidem recta via in cloacam tendunt, aut antea intumescentias immo vero vesicas formant. Uti in anguibus ita in ranis duae adsunt perfectae vesicae urinariae, in testudine una tantum, sed duobus cornubus instructa, uteri bicornis instar; vesica urinaria simplex oritur primum in hyrace capensi, ubi ureteres fundum ejus petunt; saccus coecus tandem inter ureteres vesicae collo appropinguatos uti in homine formatur. Ubi duae adsunt vesicae urinariae, ex ureteribus formantur, ubi una tantum, ex uracho. In homine et mammalibus vesica urinaria ex uracho formari, anatomia foetalis et pathologica demonstrat; omnes enim observationes in embryone institutae eo conveniunt, ut vesica primo tempore extensionem urachi referat, ejusque partem constituat. Ita Mekelius vesicam urinariam totam fere reperit in funiculo umbilicali jacentem longissimam et tenuissimam; in primis embryonis temporibus vesica urinaria et urachus tamquam unus apparet canalis fere cylindricus.

Ast cum in natura solummodo unica datur vis generans cujus essentia ubique aequalis latet, cujusque producta ratione formarum suarum tantum per diversa genera variant, non impossibile videtur actione vis generantis universalis inconsuete aucta aut depressa in uno alterove individui cujusdam generis tales organorum sexualium alienationes obvenire, quibus tam

forma quam functio eorum mutetur et individuum generi alieno simile reddatur, quia organa sexualia, uti supra vidimus, per omnes mammalium formas solummodo ratione gradus perfectionis differunt. Opinio haec experientia comprobatur. Invenimus quandoque revera in diversis humani generis individuis varias formas excessivas aut defectivas, alienatione nisus formativi ortas, quae totius corporis habitu in una altrave ejus tantum parte inferiorem formam animalis cujusdam exprimunt. Invenimus individua, quorum organa organis generis alieni ratione gradus formationis conveniunt. Etsi autem in mammalibus in uno eodem individuo alterutrius sexus characteres tantum occurrunt, pari modo tamen non minus verum est, in uno altrove individuo humano, aut mammalium generis contra regulam constantem diversa utriusque sexus organa simul evolvi. Causae et rationes cujuscunque talis producti innormalis vel excessivo vel defectivo nisu formativo orti, solummodo in natura generanti universali perspiciuntur. Quodque productum e fluidis et infimae organisationes sponte prodeunt, huic statui generationis universali in humano genere molae correspondent; quae autem paulum altiores sunt collocatae, genitalibus tamen non propagantur, sed individuum quodque genus suum non alio modo ac proprium corpus è. g. per stolones plurium plantarum, aut polyporum actiniarumque modo producit; huic animantium classi membra superflua correspondent. Dein organa propria vi reproductionis genericae praedita apparent, quae autem vim fructificandi producendique simul continent, uti in echinis, asteriis, ipsisque molluscis acephalis, ubi utriusque sexus organon commune ovarii formam praesefert; haec individua hermaphroditi sibi ipsi sufficientes nominantur, quos autem, cum verus sexus solummodo perspicua divisione polorum suorum oppositorum constituitur, et ad verum hermaphroditum utriusque sexus potentem organa eorum diversa in uno eodemque individuo requiruntur, potius hermaphroditos aphroditicos appellare licet. Postea in serie organorum generationis hermaphroditi utriusque sexus potentes et organis utriusque ejus

functioni propriis instructi obveniunt, quorum unus alterius indiget connubii, aut ut sexus instinctus tantum in utroque individuo vicissim excitetur ad propriam fructificationem reciprocam, aut unus ab altero vicissim coëundo fructificetur. Hae formationes in molluscis plerisque gastropodibis, et in vermibus permultis obveniunt.

Hirudo medicinalis L. coitu alternativo (copula duplici) genus suum propagat, uti Cuvierus affirmat. Nuper Celeberr. Dr. Spir nobis de sanguisugae genitalibus hermaphroditicis claram et accuratam descriptionem dedit, quam huc transferre audeo, ut introitum quasi faciat ad hermaphroditorum historias inter mammalia obvias.

In superficie externa abdominis, unum et dimidium pollicem ab ano distans, exstat in medio foramen, quo cutis externa introrsum versa organa semen virile secernentia, et prae primis penem format, qui hic loci foris procedit, et circiter unum pollicem in statu erectionis prominet. Intra corporis foramen penis contractibili, crassaque vagina, motu peristaltico se contorquenti et e musculo cutaneo continuanti, involvitur. Vagina haec circiter octo lineas longa capitulo suo rotundato ac rapinguedine involuto-antrorsum propensa evanescit, ubi incipit insertio ductus deferentis. Hic conglobatus in nodum, cujus involutiones gyris cerebri humani non sunt absimiles, iterum propagatur simplicibus flexuris serpentiformibus in superficie abdominis intra arteriam et nervum usque ad unius pollicis longitudinem ab ano distans statim retro uterum, novem ramis successive emissis, in totidem vesiculas seminales seu didymes intumescentibus et ex utroque latere nervorum funiculum conterminantibus, semen, testibus vesiculosis secretum, colore valde albo per ductum deferentem in penem aut membrum virile et abhinc foris ejicitur. Ejectio partim antrorsum contractilitate organorum ipsorum, partim contractione spastica totius animalis et denique singulorum fasciculorum muscularium

se trajicientium efficitur. Notatu dignum praeterea in organis sexus virilis est insertio canalium illorum mucosorum, quorum quilibet ab altero seperatus super arteriam decurrens eamque concomittans usque ad os et anum continuus quasdam flexuras format et una extremitate sub forma vesiculae, in medio perforatae, foris terminatur, altra autem extremitate sinu coeco, exceptis tamen illis novem canalibus, qui hac altra extremitate in funiculum spermaticum excurrunt. Tales glandulae in utroque latere numero septendecim conspiciuntur. Fluidum quoque in organis lumbricorum terestrium contentum, utpote secretum glandularum cutis, naturam mucilaginosam et colorem griseum, unde a semine differt, assumit.

Ab orificio, peni destinato, retrorsum aliud orificium functionibus sexus foeminei adaptatum jacet. Cutis, primum hic inversa, formam sinus piriformis, vagina musculosa circumcincti, praebet; exinde in latere dextro capitis ejus iterum angustatur in tubam Fallopianam flexuosam disinens et extremitate sua amplectitur duo ovaria, quorum unum ad dextram altrum ad sinistram est positum.

Praeter alia animalia supra memorata nullibi in regula verum hermaphroditismum invenimus. Ast si verum sit, quod nostri aevi fere omnes physiologi de formatione et evolutione embryonis successiva per omnes animalium inferiorum classes quoad eorum essentiam dicant, tunc saltem formatio hermaphroditica non impossibilis videtur, quia embryoni in quadam vitae suae uterinae periodo aequalis organisationis gradus correspondet; et insuper in aliis organismi particulis tales formationes retensae exprimuntur. Revera inter homines atque mammalia inveniuntur non tantum diversas genitalium formas defectivas sed etiam excessivas, non aphroditos solum sed et hermaphroditos, quo sententia physiologorum quoque de formatione successiva genitalium et reiteratione formarum, in animalibus multo inferioribus inventarum, comprobatur. Rei-

teratio formationis inferioris autem non ad essentiam sed tantum ad illius formas sese extendit, et thesis illa: Foëtus humanus in sua formatione per structuram et formationem plurimarum animalium inferiorum classium in essentia transit: nimium est extensa, et ad formationem analogam quoad formas similes, animalibus illarum classium correspondentes restringi debet; alias animarum peregrinationis idea, in alia forma tantum, reiteratur. Ast idea est permanens et aeterna, etsi forma mutetur; aeternum quoque est essentia uniuscujusque rei, ideo etiam generum animantium. Foëtus humanus in quacunque evolutionis suae periodo est humanus, etsi forma modo magis modo minus animalibus unius alteriusve classis similis sit.

Divisio organorum sexus in duo individua polis oppositis ad essentiam generis humani tenet, atqui sexus characteres in individuo generis cujusdam quoque jam a primo momento creationis individuilis potentialiter a genere ipso praedestinantur, et si forma embryonis humani retensione, aut excessu formationis partialis alienatur, haud omnibus characteribus humanis erit destitutus. Genitalia etsi defectiva vel excessiva semper, ubicunque adsunt, prototypum humanum praeseferent. Genitalia embryonis in quaque ejus formationis periodo tantum ab illis animalium inferiorum classium distant, quantum homo ab illis animalibus ipse distat. Attamen etiam genitalia illorum animalium sunt valde individualiter et proportionaliter formata, quod jam ex descriptione organorum hermaphroditicorum hirudinis perspeximus.

Genitalia humana in regula utpote omnis homo, in prima formatione ab infimo ad summum perfectionis gradum per diversas genitalium formas analogas, in inferiorum animalium classibus obvenientes, ascendit, sed eorum formatio etiam in quocunque stadio impediri potest, utpote formatio totius corporis. Quemadmodum formatio hominis totalis suprimi

potest, ita quoque genitalium formatio omnino in aphroditis perfectis suprimitur; si autem supressio organorum sexus tantum est partialis, tunc aphroditus imperfectus apparet, sed plerumque simul cum organorum immutatione materiali et formali, ideoque ratione stadii et gradus supressionis genitalia defectu vel alienatione variant. In periodo, qua oppositi sexus potentia tantum sed forma nondum differunt, vis formativae affectionem alienatio distincti characteris sexualis a recto tramite in alium characterem oppositum subsequitur, et oriuntur mixtione simultanea utriusque sexus organorum simul aut androgyni aut gynandri, quos alii quoque hermaphroditi vocant. Ex hucusque allegatis, clare patet, hermaphroditos tantummodo in hoc sensu tam inter homines quam mammalia obvenire, quia sexuum duplicitas iis regula constans est, et quaeque alienatio a norma naturali, generibus diversis praescripta, qua morbus considerari debet.

Ast in genitalibus morbose alienatis perfecta unius tantum sexus functio haud facile in quibusdam, in aliis vix unquam, et in permultis omnino nunquam perficitur, impotentia sexualis a mala suxus organisatione prodiens in ratione aequali cum gradu alienationis invenitur. Levissimum gradum inter viros Atreti, Hyspadiaei et Anaspadiaei, seu Epyspadiaei constituunt. Hypospadiaeorum sunt diversi gradus, quorum tres statuo: 1. ubi urethra non in facie glandis sed infra retro glandem aperitur; 2. in penis media facie inferiori; 3. sub ejus radice in regione, quam in regula bulbus urethrae occupat. Hujus tertii gradus mutationes sunt: quandoque etsi apertura sub radice prodit, sulcus tamen seu semicalis usque glandis faciem inferiorem excurrit, et facies ejus mucosa rubet nympharum modo, aut vix vestigium ejus canalis adest, et tertio facies penis inferior aeque ac superior a cute communi est obtecta.

In his subjectis si alii viri characteres adsunt, sexus non apparet nimis dubius, nisi testiculis simul quoque scrotum careat, aut a rima

genitalis primitiva divisum permanserit; sed eo magis de generationis facultate dubitatur. In genere hypospadiaeis illa facultas ne minime quidem est deneganda. Hufeland in Tom. II. diarii sui nobis historiam hominis a Schweickhardo observati, vulgo pro hermaphrodito usque ad aetatem ejus 49 ann. habiti, narrat. Homo puella baptizatus, qua talis vestitutus et hucusque semper creditus, nunc praeter omnium opinionem puellae a se impraegnatae petiit se nubere.

In inspectione oculari penis flaccidus et dependens, non omnino duorum pollicum longitudinem aequans, solita circumferentia observatur; glans imperforata deorsum incurvata; facies inferior corporum cavernosorum ab urethra denudata; interea in illius medio sulcus excurrit, retrorsum sub radice penis in superiori fine scroti foramen ovale in directione horizontali urethrae musculosae seu posterioris ejus partis aperturam indicat, qua urina in simili directione horizontali e pene suffulto prosilit, et in facie anteriori glandis arcum formans descendit. Scrotum in latere dextro tantum testiculum continet. Totus habitus reliquus virum testit; maritus postea intra octo annorum spatium adhuc duas puellas ex omnibus partibus bene formatas, progenuit; infans illegitima autem est mortua.

Fabricae ex habitu virili in foemineum deflectentis exemplar adducit Riedlin. Sub finem anni 1707 natus fuit infans Ulmae, qui licet perforato pene instructus fuerit, sub eodem tamen monstravit plicas cutaneas in rimae formam sibi adpositas, ad quarum latus orificium exstabat per quod cereus 2 pollicum longus immitti potuit. Fabricius ab Aquapendente quoque sub perfectis viri genitalibus cunni muliebris formam sine aliqua tamen cavitate vidit.

Historiae sequentes plerumque ex opere classico Clar. Akermanni: Historia infantis androgyni cum ichnographia Jenae 1805

sunt desumtae et jam transitum successivum hyposadiaeorum tertiae classis in hermaphroditos aphroditicos consignant.

Weigandus virum in Cantone Letto Goldingae Silesiae oppido degentem describit; provectior hypospadiae gradus hic revera tanquam fabricae sexualis aberrantis species, praepollente tamen genitali masculo, adduci meretur. Glans penis imperforata huic erat, et in lobos divisa, urethra supter corpora cavernosa in colis fere medio terminabatur orificio carnuculis glandulosis obsito, plica cutanea, quae alias praeputium constituit, in eadem regione contorta circa penem erat fasciae adinstar, et licet testiculis duobus quasi divisis saccis sub penis radice continebantur, in regione perinaei tamen rima aderat labiis tumidiusculis cincta, genitale muliebre simulans, quod tamen non penetrabat, sed diductis labris coeco fine terminabatur. Salacissimus interim, licet neque cum uxore neque cum concubina, quam aluit, liberos procreavit, cum sperma durante coitu, ut ex fide mulierum medico data consistit, e vagina profluxerit.

Memorabile sane hypospadiae consumatioris exemplum! quod manifesto probat urethrae a penis coporibus vel deflectentis vel retrogradae speciem ambigui simul sexus primas notas comitari. Huic observationi omnino consentanea illa est quam refert Wallisneri, qui, licet autor, ob praevalentes sexus virilis characteres in hac genitalium forma androgynae structurae speciem neutiquam suspicetur; tamen revera, hypospadiae ulteriores formas et cum iisdem dubii sexus abnormem genitalium fabricam in medium adducit. Erat juvenis rusticus annorum octodecim pene quidem dotatus, sed a vertice glandis ad penis radicem usque urethra aperta patebat, non secus ac si inferior hujus canalis paries resecta fuisset. Tunica semicanalem investiens folliculorum sebaceorum non raris patuit ostiolis, adeo, ut de continuatione hujus membranae internae urethrae dubitare non poterat. Ad penis radicem apertura erat vulvam referens duo-

bus exiguis labris cincta, ex qua protrusa urina per totum semicanalis urethralis ductum ad glandis extremum usque prosiliebat; quo phaenomeno adducti medici crediderunt, hunc juvenem eadem prorsus ratione etiam semine in generationis actu ejaculare posse eo fortasse facilius, quod pene erecto semicanalibus labia turgescerent et aperturam inferiorem vix non penitus occluderent. Non multo post temporis compertum fuit, illum revera mulierem impregnasse et eandem imposterum sibi in uxorem duxisse.

Huic quem modo memini, non absimilis casus est, quem idem autor de juvene Ravenato refert, qui ob praevalentes, ut quidem ejus parentes crediderunt, virilis sexus characteres ad viros relegatus fuerat, quem autem autor ad sequiorem potius sexum pertinuisse credidit. Penis illi erat et longitudine et crassitie ad colem viri accedens, glans bene formata cum ostii cutanei nota sed imperforata. Praeputium retro glandis coronam retractum. Testiculi duo duplici bursa contenti erant, et in medio ad penis radicem orificium aderat, quod processibus cutaneis nyphaeformibus cingebatur, quorum inter crura meatus urinarii orificium et subtus aliud ostium patuit, quod vagina creditum fuit.

Lepechin structuram genitalium androgynam, quae virili tamen nota praevaluit, in tribus fratribus in districtu Warchowakeskoy natis observavit. Natu minor juvenis viginti annorum erat facie formosa, corpore procero et bene constituto, sed erant illi mammae muliebres et turgidae et duriusculae, papillae magis protuberantes et areola rubella amplior. Faciem propterea imberbem et vocem foemineam ostendebat. Coles illi curtus duos pollices et tres lineas longus fine coeco terminabatur. Scrotum supra basin penis firmatum inferius in duos saccos distinctum erat. Secundum totam longitudinem colis inferiorem ubi urethrae locus, sulcus usque ad basin colis exaratus erat, ubi inter disjunctos scroti saccos patuit foraminulum, quo urina excreta fuit. Totus perinaei decursus cavus

erat, et haec cavitas adhaerente scroto a lateribus aucta fuit, ita ut obiter spectata imaginem partium naturalium foeminarum referret. In utroque scroto testiculi tangebantur.

Frater natu major et quoad exterioris corporis habitum et quoad externam genitalium conformationem descripto simillimus ante annos quinque uxorem duxerat, sed liberos ex descripta non progenuerat. Frater natu maximus ex allatis supra notis a reliquis nullo discrimine differebat, aetatem 30 annorum attigerat et per decennium jam matrimonio junctus quatuor liberos procreaverat.

Intellexit autor ex his mirum, qui in coitu obtinet, partium genitalium mechanismum. Illis enim, dum erigitur coles, intumescit simul et apertura urethrae, quae secundum sulcum penis inferiorem se expandit, et usque ad incissuram glandis protenditur. Sic liber efficitur ejaculato semini canalis, quo in generationis actu in vaginam immitti facile possit.

Annotari meretur, fuisse istos homines admodum salaces et vuluptatem quidem celerius in illis excitari, sed tempore lurido et pluvioso frigere venerem, cum testiculi in inguina retrahantur, doleant et totum fatigent corpus; econtra coelo sereno delabi rursus in scrotum testes et pristinum corpori redire vigorem.

D. C. Walter cum Faschio Prof. Jenensi hermaphroditum vidit. Natus fuit hic androgynus et Annae nomine fuit insignitus ann. 1665 in praefectura Wunsiedel, et cum annos attigerat viginti et unum sequens descriptio fuit facta. Erat statura corporis mediocri, vox illi sonora virilis, mammae turgentes rotundae, sororiantes, nulli in pectore pili, sed ab umbilico ad pubem usque decurrentes cincinni. Ante sex annos in:

regione inquinali testiculi duo turgidi et sat grandes prodiere, quorum uterque peculiari scroto continebatur. Vasa spermatica in inguine tactu discernebantur. Inter hos mediam pubis regionem occupavit penis curtus et crassitiae digiti minoris. Glans, quae tota fere praeputio obtecta fuit, imperforata erat; sub glande fraenulum in duas divisum fuit alas, quae versus inferiora perinaei in nymphas decurrebant. Sub finem fraenuli hiatus septem, quorum duo satis patentes stili apicem excipiebant, ex quibus in veneris oestro albicantem profluxisse materiem, se animadvertisse pronuntiavit. Reclinato in latus testiculo vulvae labia a fraenulo producta in conspectum venere, ubi nympharum et caruncularum myrtiformium species notabantur. Sub radice penis meatus urinarius ostio rotundo in canalem brevem transiit, qua masculi adinstar satis prompte urinam protrudere potuit. Os vaginae constrictum exquisito sensu donatum, stilum argenteum ad digiti logitudinem admisit, ex qua tamen nunquam menses stillasse serio testatus est. NB. Ephemerid. W. C. Cent. III. et IV. observ. 145. pag. 305.

Uratislaviae Mense Decembris 1735 in palestra pugilum natus fuit infans Judaeus, qui quoad cetera corporis membra bene conformatus sequenti genitalium vitio laborabat. Penis cutis membrana quasi involutus, glande nuda versus dextrum latus inclinatus et inperforatus erat. Scrotum ordinarium sed raphe magis elata sejunctum, in cujus suturae inferiori parte foraminulum conspiciendum erat, quod stilo intromisso deorsum versus anum dirigi observabatur, quo et urinam reddebat infans.

Johannes Christophorus vel Joh. Christianus Lentge Goslarensis, a Weisbergo observatus, 1792 in lucem editus et 1795 Gottingae inquisitus atque depictus. Scrotum parva prominentia quasi in duos partes vel receptacula divisum monstrat, in quibus ambo testiculi ita mobiles sentiuntur, ut per annulum abdominalem eos reprimere haud difficile

possis. Parte inferiori prominentiae dexterae sedet perquam crassa appendix, quae partem ani continet, et nonnunquam retensis et induratis faecibus ad magnitudinem conspicuam increscit, quae non minuitur nisi dolorosis conaminibus post gemitus fletusque evacuatio processerit. Supradicta prominentia, sub monte veneris exstans, verus penis est, ac paulisper solito minor, desinit in glandem modo ordinario formatam praeciputio obtectam, quod perfecte restringere queas. Ast prope fraenulum, quod omnino deest, glans est divisa, et loco orificii urethrae, magis retrorsum siti, conspicitur sulcus, quin minimum urethrae vestigium animadverti possit.

Notatu dignissimum sine dubio est quoddam orificium circiter 6 linearum longum et 4 latum peni proxime exstans, intusque roseo colore tinctum. Ex illo perenniter urina manat, et vix unquam illud stillicidum interrumpitur. Nonnunquam parcius, non raro copiosius consequitur, persaepe etiam fluida quaedam excrementa in colorem viridem versa admixta sunt. Si prominens illa appendix comprimatur, plus faecium per istud orificium abit, quod est communis via evacuationis vesicae urinariae et ani, nusquam enim alia apertura detegi potest.

Nam cum eadem ipsa rima pro apertura vaginae muliebris habebatur, nescio, an non suspicari liceat, hanc viam ad uterum quemdam perducere, et subjectum anumerandum esse hermaphroditis.

In hoc casu trifaria deformitas simul adest: unio urethrae et ani, et situs ejus insolitus. Caeterum character generis virilis luculenter praevalet, licet orificium urethrae naturali formae repugnans facultatem procreandi impedire videatur.

In Gallia prope Andegavium vidit Isbrandus Diemerbroeck hominem 28 annorum; cujus genitalia hermaphroditicam monstrabant structuram. Ex superiori pudendi parte excreverat penis clitorideus ad digiti medii longitudinem et virilis mentulae crassitiem cum glande, fraenulo et praeputio munita, ut in viris esse solet. Inferius meatus urinarius et vagina uteri distabant ut in mulieribus; in singulis pudendi labiis unus testis continebatur.

Idem autor refert, similem hermaphroditum Anglum se vidisse Ultrajecti ann. 1668. Penem hic monstrabat, qui ad digiti medii longitudinem accessit, in rima glandis non perforatum, erigendum. In singulis Pudendi labiis testis aderat. Paulo infra penem orificium pro meatu urinario et vagina uteri conspiciendum se praebuit. In reliquo corpore habitus virilis potius et barba se prodit.

In diario Hufelandi historia sequens a Dre. Schaeffler est communicata. Maria Katharina Ulmerin die 8va Augusti ann. 1753 Steinbachii in districtu Baknanger nata, sacerdoti confessionem peccatorum audienti revelavit desiderium statum suum praesentem permutandi in virilem, spe utilitatis exin profluentis allicita, cum crederet, habitum virilem praevalentem hanc mutationem permittere. Corpus robustum, statura magna, vox fortis et rauca magisque virili accedens; crines nigri in nodum collecti, non nimium longi. Vultus neque perfecte virilis neque muliebris; lanugines, flavae circa os, et mentum sat frequentes, multo minores autem circa genas, enuchorum, virorum imberbium aut foeminarum barba insignium modo. In thorace virili de mammis nil nisi earum papillae adfuere, et totum sceletum ipsaque pelvis statui virili plus accessit. Genitalium inspectione intra crura in utroque latere tumor obvenit, quorum dexter junior sinistroque minor apparet, et hernia intestinali ovi gallinacei magnitudine formatur. Tumor sinister a hernia intestinali et epyploica simul

formata, dextrum bis magnitudine superat, et jam ab infantia immo verosimile congenitus est. Tumores ambo sunt sat reductibiles, annulus enim intestinalis tam est patuus, ut digitum minimum haud difficile inmitti patiatur. Licet tumores hi plus quam herniae inguinales alias descenderent, nullum tamen vestigium scroti in illius regionis cute fuit observatum. In accuratiori tumorum disquisitione in iis testiculos ratione aetatis minores et inaequales cum funiculis correspondentibus detexit. Penis circiter magnitudine unius et dimidii pollicis magnitudine ante arcum ossium pubis inter tumores illos inguinales porrectus circumferentiae penis ordinarii adaequat; glans ejus praeputio destituta quidem et imperforata, in facie autem inferiori tamen sulcu est munita. Urethrae orificium oblongo-rotundum infra et retro glandem prostat, per quod urina et quandoque aliae materies (semen vel mucus tantum?) ejiciuntur. Corpora cavernosa sufficienter voluminosa virilique modo inplantata sunt. Retro urethrae orificium incipit raphe virilis ea cum differentia tantum, ut hic duplex duarum linearum interstitio decurrat. In accuratiori perinaei disquisitione nullam concretionem membranaceam detegi, sed omne attactui solidum obvenit, uti in corpore virili fieri solet. Penis incurvatus et cute detentus aliquamdiu erigitur, uti homo ipse profitetur, raro tamen ejaculatio materiei cujusdam accidit; interea nisus venereus in sexum secundiorem et absentia menstruum adhuc pro habitus virilis prototypo et praepotentia testantur.

Chirurgi in insula Corsica degentes Julien et Soules sequentem observationem consignarunt. Maria Nonzia ann. 1695 nata et ubi ejus corpus inspiciebatur ad annum 55 provecta habitu corporis toroso erat mammis turgentibus, cui papilla crinibus cincta insedit. Pene duos pollices longo praedita erat fraenulo subtus alligato. Scrotum in duas partes divisum fuit, inter quas hiatus pollicem unum et tres cum dimidia lineas e diametro habens conspiciebatur; digito in hunc hiatum immisso

trabes carneae detegebantur ab uno pariete ad alterum productae. Ex hoc ostio urina effluebat, et uti chirurgi testati sunt, etiam sanguis menstruus.

Anna Wilde, quae ann. 1647 in pago Ringrood agri Hamptoniensis Angliae nata pro puella habita fuit, donec sexto aetatis anno inter saltandum cum pueris testiculi per annulos perrumperunt, qui scrotis duobis excipiebantur vulvae labia constituentibus. Aderant inter utrumque scrotum rima et obvellantes vaginae ostium nymphae; et membranula a peritonaeo sursum tendens et mediam rimae partem tegens. Penis imperforatus in statu erectionis ad quatuor pollicum longitudinem accessit. Aderat ostii cutanei vestigium tenui quasi pellicula tectum. Ex vagina menstruus sanguis erupit, vox erat illi rauca, corporis habitus virilis, mammae protuberantes nullae, papillae perexiguae, corpus pilis obsitum. Ad utrumque sexum comparatam se dixit, et quidem cum foeminas concupisceret, penem erigi, illum autem, cum in viros arderet, flaccidum manere.

Reald. Columbus virum vidit, qui et penem et scrotum monstrabat, sed cui sub scroto in perinaeo foramen erat vulvae simile, quod non penetrabat.

Johann. Grashuis medicus Amstelodamensis ann. 1742 infantem trium annorum in Scotia natum, cui in pubis regione labia quasi muliebria in conspectum prodibant, rimam satis profundam inter se relinquentia, in superiori angulo glans clitoridis ingens et valde crassa sed imperforata prominebat. Rima erat inferius clausa et in medio genitali elevata raphe et quasi cicatrice coalita, inferius in ipsa hac raphe foraminulum erat, quo urina effluxit; ipsum penis corpus sub cute tactu percipiebatur arcte pubis ossibus alligatum. In sinistro labio corpusculum modice durum quasi testiculum referens, distincte persentire poterat.

Faber refert historiam sequentem. Vivebat Romae sub Clementis VIII. pontificatu pharmacopei filia, quae mentulam, testium rudimenta et canalem urethrae vaginalis cujusdam sub partibus masculinis monstravit. Anno 13 suae aetatis subito et derepente urina illi suprimebatur, unde dolores ingentes per biduum ciebantur. Mater vaginam digitis investigans obicem detegit cartilagineae duritiei tumorem, qui profluenti urinae remoram faciebat. Arcessitus chirurgus penem longiorem factum observans, partes fomentis emollientibus tractans, ipsumque membrum leniter conquassans efficit, ut maxima urinae copia per ipsum penem efflueret. Hic sine dubio duplex urethrae virilis musculosa pars in gradu formationis inferiori retensa et in vaginae muliebris formam alienata exstitit, simul autem urethrae partem anteriorem et spongiosam formatam quidem sed ob congenitam fistulam urinalem in anterioris urethrae muscularis numquam urinis permeatam fuisse, puto.

Taberani historiam et descriptionem Augustini Broli Sensensis refert. Erat pene clitorideo instructus, cujus glans praeputio quidem cincta sed imperforata apparebat. Sulcus autem in penis inferiori parte et ostii urethrae cutanei in labiorum formam sibi adaptatae erant, inter quae rima cutis margine et infra duabus plicis nymphaeformibus cincta videbatur; in inferiori rimae regione foraminulum hiabat, quo et urina et sperma effluxit. Testiculi non labiis scrotalibus sed cellulosa a latere montis veneris sita continebantur. In sequiorem sexum proclivis matrimonio se jungere concupivit, quod autem ipsi ob genitalium abnormem fabricam interdictum fuit. Donec Dr. Caluri ipsum ad coitum fecundum habilem pronuntiaverit, quam datam declarationem hac praecipue ratione suffulsit, quod dictus Broli non tantum sperma testibus secerneret, et et vi quadam secundum penis erecti directionem ejaculare posset.

Quinque individua nobis sunt cognita, quae Weitbrechtus examini subjecit ob genitalium formae ambiguitatem, sunt quatuor homines Sibirici,

bini ex duabus familiis fratres, in quibus penis clitorideus et infra inter divisi scroti labia orificium urethrale conspiciebantur, et in labiis scrotalibus corpusculum, quod testis creditum fuit, tactu exploratum est. Quintum, quod et ipse accuratius descripsit Weitbrecht est filiolus Caroli Lang tubicinis, qui pene in glandem terminato instructus erat, in quo sulcus levis et coecus exaratus erat, infra hoc membrum utrimque saccus pendebat, qui corpusculum duriusculum continebat pro testiculo habendum, cum supino corpore in inguina retrahebatur. Diductis cruribus et sacculis orificium in medio patuit vix pollicem longum et ligamentis cutaneis ad sacci scrotiformis labia utrimque annexum.

Cheselden, Douglas et Persons describunt hermaphroditum afrum, quem foemineum dicunt. Hoc miserae conditionis mancipium Londini ann. 1740 genitalia publice ostendebat. Penis clitorideus, licet ultra quatuor digitos prominens, tamen innumeris rugosae cutis plicis ita obtectus erat, ut nil nisi glans imperforata conspiceretur; scrotum in duas partes divisum erat, in cujus dextro latere corpus duriusculum detectum fuit, quem testem putabat Cheselden, ovarium ex abdomine protrusum Douglas, et glandulam quandam inflatam Sloane arbitratur; in sinistra regione mobilis tumor in inguine haerebat; inter scroti labia clitorideus penis, quem praeputium alarum instar nymphaeformium ambit, et infra hiatus adest, unde urina, catamenia vero hucusque nunquam effluxere.

Salvator Morand Michaelem Annam Drouart Parisiis natum in aetate 16 ann. descripsit. Penem consueto ad pubis ossium commissuram loco integumentis cutaneis investitum et duobus corporibus cavernosis compositum ostendebat, et praeputium licet velandae glandi sufficiens retro eandem retractum erat. Glans imperforata fuit, licet sulco quasi ad recipiendum urethram instructa. Plicae cutaneae duae fraenum constituebant, quod penem deorsum traxit. Penis longitudinem habuit duorum pollicum

et erectus très pollices et dimidium mentiebatur. Ab utroque sulci urethralis margine descendit cutanea portio labia vulvae simulans, et ubi inferius junguntur cunni muliebris formam exacte referens. Morand testiculos se plane non in hujus cutis cellulosa parte tetigisse testatur, licet exacte funiculum spermaticum ab abdominis annulo productum se animadvertisse asserat, qui in cutis textum evanuisse illi visus fuit. Inter labia cutanea duos et dimidium pollices sub glande latuit orificium ostio vaginali neonatae puellae non majus, cujus inferiori margini assidebat caruncula rubella. Ex hoc orificio urina profluxit et cereus ad quatuor pollices intrudi potuit. Anus pilis obsitus erat, vox virilis, barba lanuginosa, corporis habitus ad masculum propius accessit. Hoc aequivoci sexus individuum visum fuit posthac Hafniae anno 1753 et ann. 1755 Genevae, ubi eadem, licet viro similior exterior corporis habitus esset, omni tamen bimestri fluxum menstruum perpessa fuit.

Caldani describit historiam sequentem. Dominica Scapato Paduana voce et aspectu foeminam se gessit. Mammae turgentes nullae illi erant, papilla parva et tenuis; pili et in pectore et circa anum, quin et sub axillis deficiebant. Crinium modica congeries supra pubem. Quando supina jacuit cruribus adductis pudendum omnino muliebre monstrabat; ubi autem crura inter se removit, apparuit clitoris pollices duos longa inter pudendi labia deorsum pendens, et praeputio ad glandis nudae coronam cincta, quod fraenulis duobus hoc genitale organum ad pudendi externa labia alligabat, et intra haec labia in nymphae species producebatur, quae autem in angulum concurrentes subito uniebantur, valleculam inter crura relinquentes. Sub hoc crurum nymphoidearum nexu fissura aderat, cui rubella subtus caruncula adjacebat, supra quam orificium versus interiora patebat, quod digiti minimi apicem vix admisit. In hoc orificium duo canales dehiscebant, quorum unus, uti urina prosiliens monstrabat, ad vesicam urinariam via erat, alter vero licet amplior incerti

exitus vaginam referre videbatur. Observatu dignum est, hoc individuum nunquam menstrua vidisse, licet jam annum quadragesimum attigerat, neque quae suppressis menstruis oriri ordinario solent, molestias unquam persensisse.

Maria Dorothea Derrier sive Carolus Doerge seu Duerge Berolinensis, seu Potsdamensis nostris temporibus per diversas Germaniae regiones oberrans a viris artis medicae peritissimis fuit observatus et descriptus. Eum quoque Landishuti, ubi se publice demonstravit, bis vidi nempe ann. 1807 et 1808; quo in ultimo anno per plures dies cum illo conservatus sum in theatro anatomico, ubi figuris gypseis formandis occupatus fuit. Hoc individuum statura parva, corporis habitu exili et tenero licet foeminae propior, vocem tamen edidit sonoram et adolescentis instar primas monstrabat in mento barbae lanugines, lineamenta et vultus juveniles praevalent; protuberat in collo larynx, subsidet mammae corpus glandulosum, mammas viriles non multum excedens. Mons veneris pilis obsitus erat, unde penis imperforatus duos cum dimidio pollices longus surrexit, qui erectus ad tres digitos et ultra accedebat. Glande coronata instructus erat, quae praeputio rugoso cingebatur, quod adtractum glandem omnem obtegit. Observabatur et hic ostii cutanei anceps vestigium, et fraenulum inter labia scrotalia ad perinaeum usque terminatum. In medio hujus fraenuli orificium patuit, cujus diameter dimidium pollicem vix non attigit, ex hoc ostio urinam, sanguinem quin et mucosam materiem effluxisse ipse testatus fuit; nunquam dolores menstruum fuit perpessus; sexui virili se associebat, etsi amorem in sexum sequiorem sentiit; mihi multa narravit de puella quadam Berolinensi in iisdem aedibus cum illo degenti, quam amavisse fuit professus.

Primi gradus sexus muliebris in structuram excessivam masculo similem aberrantis Clauderus adducit observationem, ubi genitale mulieris

nisi in hoc differens fuit, quod clitoris valde elongata fuerat, sed et hoc accessit singulare, quod et ostium vaginae durum et quasi cartilagineum immissionem penis penitus impediverit.

Realdus Columbus observavit mulierem, cui erat genitale membrum ambiguum crassum digiti minimi longitudinem aequans sed perforatum, sub eodem ostium canalis sed angustum, ut non nisi digiti minimi apicem admitteret. Viros haec ita concupivit, ut penis clitoridei resectionem et ostii vaginalis dilatationem a chirurgo expeteret. Qua structurae vicissitudine manifesto patet, clitoride increscente muliebris genitalis canalem eadem proportione contrahi et coarctari.

Disquisitiones anatomicae gentalium hermaphroditicorum internae.

1) Observatio a celeberr. Petito communicata. Miles 22 annorum in nosocomio Namurensi mortuus est ex vulneribus sequelis. Chirurgus, qui vulneris ergo cadaver inspiciebat, miratus in scroto testiculos non adesse, ventrem aperit, et in ipso ventre post vesicam detegit uterum collo vesicae adhaerentem, ibique in urethram annulo duriusculo desinentem. Ab utero procedebant tubae tres cum dimidio pollices longae, cavae, exigui luminis, quae corporibus aequivocis accretae fuerant. Locum quidem ovariorum tenebant, sed fabricam testium prodiderunt, cum et epydidymide et deferentibus ductibus instructi erant, qui in vesiculas seminales, quae matrici annexae erant, abibant, quae duobus ostiis in urethram terminabantur. Adjecit observationi narratae Petitus: uterum revera hoc nomen non mereri, fuisse ejus fabricam magis vaginae et quidem caninae, quam humanae similiorem.

2) Harvaeus embryonem describit hermaphroditum, qui pudendum monstravit illi cuniculi simile. Aderat exterius in parte superiori penis exordium, glans, praeputium, labia et nymphae et utrimque pro testiculis laxior scroti cutis. Interius glandulae prostatae prope penem locabantur; uterus perexiguus uteri ovilli vel talpae effigiem referebat cum duobus cornibus, quibus testiculi visendae magnitudinis adjacebant.

3) Clar. Sue observavit sequentia: genitalia externa puellum monstrabant tredecim annorum, primo aspectu bene formatum, nisi quod glans penis imperforata erat et in parte scroti anteriori foraminulum hiabat. Aperto abdomine uterus inter vesicam et intestinum rectum detegebatur, in latere dextro ovarium uteri fundo adhaerebat tubae fimbriatae accretum. Huic adjacebat ligamentum rotundum versus inguen transiens. In sinistro vero latere loco tubae ductus erat in testem tenuem transiens, in quo aperte et epydidymis distinguenda venerat. Ex ipso teste ductus adhuc duo inventi fuere, qui in ductum priorem eo loco, ubi ex utero exibat, transire videbatur.

4) A Realdo Columbo. Hermaphroditus erat pene instructus, cujus cavernosis corporibus canalis accretus fuerat. Sub pene genitale muliebre, in quo etiam urethra terminabatur, qua urina excreta fuit. Aperto abdomine testes ovariis majores sed eundem situm occupantes in utroque uteri latere conspiciebantur. Ad haec, uti communis est fabrica muliebris, vasa spermatica ferebantur, sed, quae ex iisdem prodibant vasa deferentia duplicia erant, quorum unum ex utroque latere sese uteri fornici inseruit, alterum vero ad penis radicem, qui glandularum prostatarum expers erat, properabat, in eodemque aperiebatur. Hic ergo ex ovariis testiformibus peculiares ductus sub tubarum specie in uterum, alii ductibus deferentibus non absimiles peculiares ductus sub tubarum specie in urethram patuerunt.

5) Anna Bergault Andegariensis habitu masculino et barba nigra instructa virorum moribus, amictu foeminarum induta ex tumore magno in inguine sinistro gravibus symptomatibus afflictatur; petit auxilium chirurgi Peletier, qui examine de tumore instituto, insuetam genitalium fabricam advertit, de quo certiorem reddit celeb. Bondenarium Parisiensem et Dr. Chevereul Andegariae medicinam exercentem. Hic, quae vidit et in viva et in cadavere, sequentibus refert. Instructa erat pene clitorideo septem ad octo linearum diametri, pollicem unum et dimidium longo, glande terminato praeputio cincta; sub glande sulcus aderat, qui pro recipienda urethra destinatus videbatur. Canalis urethrae tenuis sed dilatatus sub virgae medium orificio desiit, e sulco glandis ad urethram usque fraenulum apparuit cutaneum. Ab orificio urethrae in dextro latere descendit plica cutanea major, quae pudendi labium simulabat; in sinistro latere haec cutis plica a tumore, qui cutim distenderat, deleta erat. Vaginae ostium nullum sed annus infra patuit. Ex annulo prodiit tumor, qui capitis infantilis magnitudine ab ilei ossis spina superiori versus pubis arcum obliquo ductu procedens in immi ventris cava versus hypochondrium sinistrum et epygastrium ascendit. Post mortem aegrotae Chevreul cadaver aperiebat, qui sub tumore vesicam deorsum urgente uterum cavum pollicem longum et uteri cervicem detexit, qui in urethram ovali ostio hiabat superius labio rubente obtecto. In latere uteri dextro ligamentum rotu dum adhaesit, et inter ligamenti lati laminas ovarium et tubae reperiebantur; in sinistro latere observatus fuit tumor hydropricus ovarii, cui tuba sinistra imponebatur, pars hujus tumoris in abdomine erat, pars ejus autem per annulum transiit, et tumorem exterius visendum constituit, in abdomine mesenterium in massam scirrhosam ab ilei regione ad processum sterni xyphoideum coaluerunt.

6) Maret androgynum describit, cui penis erat imperforatus, sub eodem rima duplici labio cincta, in cujus sinistro exteriore corpus ovale testi

non absimile tactu deprehensum fuit. Abdomine in parte dextra compresso et ibidem similis tumor prodibat. Urethra inter labia interna superius hiabat; subter illam orificium in vaginam exstitit hymene coarctatum; ibidem et caruncularum myrtiformium apparebant vestigia; inter intestinum rectum et vesicam saccus latuit membranaceus, qui ultra pollicem longus dimidium latitudine aequabat, in verumontanum terminatus, ubi vesicularum seminalium ostia excretoria reperta fuere. Testiculus sinister ductu deferente instructus erat; vesiculae verum semen continere videbantur; tumor ovalis, qui dextram regionem annuli abdominalis occupavit, erat saccus sero sanguinolento repletus, in quo corpus colore et forma hypocastani semen repraesentans situm erat; in eodem latere tuba Fallopii ad saccum usque membranaceum protendebatur. En notas organorum genitalium utriusque sexus imperfectius evolutorum in eodem individuo sibi junctas.

7) Natus Mogonciaci infans fuit, ab Akermanno observatus et descriptus, die 14. Junii ann. 1803, patre, viro robusto quidem sed macilento, nauta, qui firma semper gaudebat valetudine; matre vero corporis habitu flaccido et laxo vitae sedentariae adsueta et asthenicis semper morbis infestata. Puerum illum baptismatis fonte ablutum Nicolaum appellarunt; prima ambigui sexus tunc demum orta est suspicio, cum infans primum lotium emisit, non enim hoc ex urethra penis sed ex rima quadam infra genitale membrum profluere animadverterunt. Infantem parvum, macilentum et anhelum invenit. Penis, cujus glans imperforata erat, tres mentiebat centimetros, crassitie unius centimetri non inter cutis adiposae duplicaturam radice sua delitescebat, quin potius in colle pubis prominebat. Glans circiter tertiam penis partem constituebat crassa, rotunda, non perforata quidem sed tamen aliquo quasi pristinae perforationis stigmate notata, quod tenui quasi membrana obvelatum diceres. Penis flaccidus pendebat, et quas tegebat partes omnino observatoris subduxit

oculo ita quidem, ut jam sacculum testicondum, quem scrotum vocant, eo certius intueri diceres, cum sinistra ejus pars tumidior paululum exstaret, et propenderet. Penem autem ubi digitis attolleret sub eodem rimam advertit oblongam hiantem unum circiter centimetrum diametro mentientem intus tenui cincta mmembrana rubella, mucida excretione coerulescentem, neque ductus urethralis orificium neque internae membranae duplicatae, quam nymphas vocant, ullum apparuit vestigium. Penis ipse cutis flaccido induebatur, quae circa glandis coronam in plicas multiplices attollebatur, fraenulo subtus praeputii adinstar adnexo. Glans non tecta erat, sed nuda prorsus praeputii regulis retro glandem reversis. Penis sursum tracti inferior facies in lineam terminabatur excrescentem, quae centimetrum producta terminabatur. Ad latera vaginalis rimae duo pendebant sacculi tumiduli scroti instar rugosi labia externa pudendi muliebris, ut scrotum raphe distincti, sèd ea profundius sita, in medio autem distincta rimula divisi. Horum alter sacculus et quidem dexter altero paulo major tumidior et magis deorsum protrusus, sinister vero minor planior et magis ad inguen elatus. Tactus in his pudendi labiis corpus nullum prodidit, quae testium praesentiam indicaret, quin potius vacuos eosdem cellusa tantum tela repletos illico judicavi. Si mingebat infans, ex toto vaginali ductu urina profluxit, neque enim aliud urethrae orificium conspicuum erat, quia profundius in canali vaginali (qui autem mea opinione nil aliud est nisi urethra ipsa insolito dilatata sed nimium curta) prosiliit lotium.

Penis non inter labia externa rimae vulvalis prodit sed de monte veneris, id ist, symphyseos pubis anteriori et prominulo parte enascitur; licet ruga cutanea insignis radice penis superimineat et hunc quasi tegat. Quamvis autem penis imperforatus sit, tamen in glandis anteriori et inferiori parte rimulae anceps vestigium deprehenditur, quod versus glandis còrporibus cavernosis nexum prorsus evanescit. Quae praeputium penis

clitoridei constituit duplicata cutis ampla, rugosa, plicata, glandem tamen non obtegit, sed plicis longitudinalibus retrorsum tracta glandem fere quoad mediam partem nudam relinguit, non hic ad glandis coronam ubique adhaeret, sed sejuncta prorsus ad utramque discedit labiorum scrotalium partem et incisae raphes lateribus continuatur.

Si penem clitorideum attollamus tunc in conspectum prodit rimula divisae raphes ostio hiante; haec rimula media jacet inter crura praeputii inferius diducta, quae versus superiorem penis partem tumidula, versus inferiora, ubi sacci scrotalis labia sita sunt, contrahuntur; neque enim ostium canalis illius per totum divisi praeputii ductum extenditur, sed vix tres lineas longum uno circiter supra anum pollice ambitu rotundato terminatur. Quae ostium canalis cingit productio cutis, minime nymphas flaccescentes refert; sed duriusculum potius taeniam, quae raphes textum prodit. Si disecto per medium pene canalis vaginae per superiorem parietem incidatur, liquido apparet, eundem, cum per hunc in vivo infante lotium profluxit, urethram dici debere, licet et latior et longior ductus quam in puella et brevior quam in puero sit. Vesicae urinariae collum in hunc canalem manifesto continuatur, et in fundo ejus orificium uteri muliebris in eundem protenditur. Canalis hic ab Akermanno vaginalis vocatus pollicem longitudine aequat, initio contractior, dein latior evadit et quasi in ampullam intumescit, in qua et uterus et urethra in illam desinunt. Membrana laevi mucosa obducta est, in cujus interna superficie excretorii mucipararum cryptarum ductus raro et hinc inde hiantes conspiciuntur. Ubi vagina in ampullam extenditur, in pariete inferiori sinus notabilior se prodit, qui revera saccum coecum format, tenuissima superius membrana obvelatum (per quem mea opionione urethrae virilis pars musculosa seu posterior et interna foras sub radice penis terminare conata fuit; reliqua autem canalis pars urethram spongiosam mihi constituere videtur, sed glandem non attingit et in penis facie inferiori fere me-

dia terminata, hac formatione hypospadiaeum secundi gradus repraesentat. Partis urethrae posterioris ampulla, jam supra memorata, in quam uteri muliebris orificium protenditur, est vaginae muliebris vestigium, sed vagina hic haud multum adhuc differt a glande prostata, ita, ut tota urethrae pars illa qua rudimentum cloacae primordialis considerari possit).

In posteriori ampullae vaginalis parte ostium vesicae urinariae conspicitur, quod supra orificium uteri rotundo et sensim latescente et quasi oblique truncato desinit hiatu adeo ut profluente urina cervicis uterini vaginalis pars irrigari continuo debuerit. In ampullae vaginalis fundo uteri vaginalis portio conspicitur infra urethrae ostium prominens, binis ab utraque parte plicis cutaneis, quae in ampullam transeunt, sensimque in membrana investiente vaginam evanescunt, quasi totidem columellis sustentata.

Patet ex hac descriptione hujus ductus eundem urethram a pene quasi secedentem dici debere, licet vaginalis ampulla et orificium in urethram quoque apperiatur; ita ut utraque in unum conflata appareat. Labia scrotalia, ex hypospadia orta, orificium hujus urethrae vaginalis, cujus ostium femoribus adductis claudunt, labiorum pudendi majorum modo cingunt, et saccum peritonaealem recondunt, qui testem involvit, eundemque continet. Exterior labiorum scrotalium habitus magis utique virilis scroti speciem sistit, nam et in vivo infante, in quo genitales partes primo intueri et investigare licuit, tumidulae, sphaericae ab utraque parte rugosae se mihi obtulerunt, et post mortem denique, ubi utraque sacci pars flaccida dependebat et dexter sacculus sinistro minor apparebat, tanto potius viri scrotum hoc organum sistebat. Quod autem et in hoc virile scrotum magis quam foeminei pudendi labia accedente organo nostram praecipue attentionem meretur; id est, quod tamen et hic de muliebris fabricae simulacro plus minus participet. Ubi enim de monte veneris

procedit cutis, in viro omni subito pinguedine exuitur, et densioris simul tamen ductilioris cellulosae telae refert indolem, adeo, ut penis quasi de symphisis arcu protrusi radix nuda et libera sit, cum e contra multo adipe stipata cutis ex veneris colle in foemineis genitalibus deorsum in pudendi labia producatur. In aphrodito nostro fabricae quoddam inter illam masculi et illam foeminei corporis medium spectatur; quod quidem labia scrotalia uti in foeminis penem clitorideum recondunt; hic quippe ut in viris exterius dependet, et labiis uti scroto incumbit, sed tamen insignem ad penis radicem, ubi idem proprio ad symphiseos pubis aponeurosin ligamento adhaeret, cutis plicam observamus, quae adipe multo stipata penis colem cingit, ac deinde exuta pinguedine ejusdem integumenta et praeputium constituit, quod ultimum demum in processus nymphoideos continuatum vaginae urethralis ostium coronat. Alia adhuc et pro sexu anceps labiorum scrotalium rationes offert; sunt nempe ad extima eorundem latera plicae cutaneae, duae, quae quasi de veneris monte perfecta labia pudendi muliebris externa aemulantur, et aliis plicis, quae de regione radicis penis clitoridei procedunt, uniuntur, quasi et intertexuntur, cum quae sacculos testicondos ipsos constituit cutis, uti elato in altum pene conspicitur, ex perinaei collecta cellulosa, eadem ac in maribus ratione proficisci manifesto appareat.

Raphe denique in quam in perfecto mare scroti septum continuatur, et qua scroti utrumque saccum consutum diceres; et in hoc infante aphrodito adparet; sunt nempe integumenta penis clitoridei ad inferiorem glandis partem per medium secta et ore tumidulo sibi apposita. Ita cingunt urethrae vaginalis ostium et ubi eadem rotundato ambitu terminatur, raphe incipit, qua inferior labiorum pars unitur, quae revera hic virile scrotum sistunt nullo sane, si genitalium superiorem faciem obveles, indicio ambiguum.

Pelvis ossa et majora et ampla exhibentur, protenduntur, magis in ilei ossa et latiori superficiei iliacus musculus insternitur; ossium pubis horizontales rami majores et densiores pelvis cavum amplius ac in infante sex hebdomadum id contingit, comprehendunt, propterea tamen quod hi rami horizontales deorsum magis inclinantur, planius, neque ita profundum adparet adeo, ut et hanc ob causam viscera in pelvis cavo contenta non tam alte in ejus fundum demersa sed ultra pelvis ossa elata in umbilicalem usque abdominis regionem protensa videantur. Inter haec organa amplitudine insueta insigniter excellit vesica urinaria, si sursum ex pelvi protensa versus abdominis externam parietem elevatur, ab umbilico vix non pollicem distat exiguo urachi ligamento cum ejusdem annulo connexa. Vesica densis, crassis, et firmis constat tunicis in duplicem quasi membranam compactis, quae a duplici origine enata, tela cellulosa laxiori inter se compinguntur, per quam rari repunt fibrae musculares constrictorem vesicae simulantes. Membrana exterior ab exteriori ossium pubis facie et eorundem periosteo retro cavernosa penis clitoridei corpora enascitur et circa pubis arcum reflexa glandulosam corpus obtegit, ut ita dicam involvit, quod a situ quem obtinet, prostatae glandulae, quae in corpore masculo in majorem molem increscit, rudimenta appellare liceat.

Vesica flaccida et collecta urina tumens in apertum infantis abdomen ascendebat, evacuata insigne volumen retinuit. Collum vesicae urinariae ductum constituit angustum, cylindricum parumper versus posteriora compressum, octo circiter lineas longum, qui penes uteri orificium in ampullam vaginalem terminatur. Collum vesicale ex coeuntibus vesicae tunicis fit ita, ut interna ejusdem membrana per eandem et in urethram vaginalem transeat, et apertura supra uteri orificium terminetur, a quo plica seu potius columella ab uteri cervice descendit et in ampullae latere paulatim evanescit. (Columella haec major et alia minor crystae galli, aut verumontano hominis aut si mavis, vaginae rugis compariri possunt.)

Eo jam tempore, quo infans androgynus vita fruebatur, manifesto jamdum in dextro praecipue scrotali labio corpus duriusculum in cellulosa tela, qua contentum fuit, facile sursum et versus abdominalis annuli hiatum mobile deprehendebatur; ideo supponi liceret, infantem potius ad masculinum sexum pertinere esseque rimam in scroti raphe reperiundam nil aliud nisi monstrosam urethrae conformationem, utpote quae a penis cavernosis corporibus disjuncta magis deorsum aperiretur, scroti tunicas perforans, et in censum hypospadiae numeranda.

Sectione autem instituta nulli amplius dubia res est subjecta, in hoc infante androgyno testiculos adesse eorundem fabricam ita perfectam existere, ut desiderari omnino ad perfectiorem structurae normam nihil debeat. Testis uterque adest, et quidem ultra abdominalis annuli limites versus scrotalia labia propulsus. Dexter testiculus vix non in ipso scroti fundo haeret, sinister elatior in inguinis regione residet, uterque peritonaei processu, quem tunicam vaginalem adpellamus, includitur et ipsissimo huic processui versus posteriorem et internam partem involvitur et alligatur adeo quidem, ut et albuginea, quam dicimus, tunica hoc organum arctius investiat. Manifesto distinguitur testiculi corpus et quo quasi tegitur, epydidymis, quid? quodsi cum teste infantis, quod eodem gaudet incrementi et evolutionis gradu, hanc epydidymidem conferas majorem hanc testiculi partem vere dixeris. Caput epydidymidis glande et vix non tertiae parti testis corporis aequale huic insidet, et corpus epydidymidis in longiorem caudam desinit, retrorsum in ductum deferentem continuatum. Hic epydidymidis versus inferiorem partem testi laxius adhaeret, et tantum duplicatae peritonaei lamina eidem jungitur adeo, ut et hic saccus ille coecus adpareat, qui et in perfecti viri orchidibus inter testem et epydidymidem manifesto cernitur. Vasa spermatica retro peritonaeum et in ejusdem plica sita versus testem descendunt, et ut in viris a capite versus caudam epydidymidis in ea, quam modo memoravi, pe-

ritonaei lamina corpus intrant Hyghmori in ramos minoris et minoris usque ordinis distributa.

Nec minus ex epydidymidis cauda ascendit seminis deferens ductus et vasis spermaticis anterior versus abdomen reflectitur, et per annuli ostium intrat.

Ne autem forte occlusum hunc ductum opineris, scito in ipsum hunc seriferum canalem hydrargyrum injectum esse, quod ex eodem in minima epydidymidis vascula transfusum fuit, et quod jam exterior fabricae adspectus prodidit, ultra omnem dubii extulit aleam: S c i l i c e t   t e s t e m   i n f a n t i s   a n d r o g y n i,   q u o a d   o m n i a,   q u a e   e u n d e m   c o n s t i t u u n t,   o r g a n a   e s s e   p e r f e c t i s s i m u m,   e t   q u o d   m e c h a n i c u m   a t t i n e t   f a b r i c a e   o r d i n e m,   o m n i b u s   n u m e r i s   a b s o l u t u m   e u n d e m   d i c i   d e b e r e.

Mirum certe et inauditum exequimur opus, qui et perfectos testes viri princeps et primarium organum in corpusculo infantis descripsimus, in quo etiam princeps genitale organum quo sexus excellit muliebris, uterum scillicet delineamus.

Cystoideus appellatus est hic uterus propterea, quod, licet idem relativo ad cetera abdominis viscera situ eundem locum et reliquum, quod ad foeminam pertinet, genitale organum eandem servet rationem, tamen hoc praecipue fabricae modo ab utero perfectae mulieris differat, quod idem neque ex cellulosa tela tam arcta et densa confletur, neque compactis tam arcte parietibus adeo firmum constituat organum ac idem in statu non gravido se offert, sed potius majorem et extenuatis magis parietibus constituat antrum, quod tamen et situ et figura uterum sed talem, refert, ut illum in graviditate videmus, extensum et pyriformem.

Uterus inter genitalia, quae modo descripsi, organa medium tenet locum, in pelvis fundo haeret ad duas circiter tertias partes peritonaeo obductus. Haec enim membrana ubi intestinum rectum ad tertium usque sacri ossis vertebram spuriam comitata fuit, utero insternitur, hujus non tantum posteriorem sed et superiorem quin et anteriorem partem investit, ibique, ubi vesica urinaria cum uteri cervice concreta est, posteriora hujus receptaculi petit, eodemque obducto in parietem abdominis anteriorem continuatur.

Uteri corpus formam omnino uteri gravidi refert, hinc et canalis cervicis uteri hic desideratur, sed et uteri cavum paulatim se cortrahens tandem in uteri orificium terminatur, quod vagina et quidem posteriore vaginalis ampullae portione cinctum in dictam ampullam, aperto ostiolo aperitur ita, ut urethra supra idem ostium hiet, et uti jam memini, lotio profluente uteri os irrigetur. Textus uteri membranam refert coriaceam densam licet non crassam. Corpus ejusdem, quod peritonaeo involutum in cavum ascendit hujus sacci, tenuius est, condensatis autem cellulis incrassescit, ubi inferior uteri portio vesicae non adhaeret modo, sed eidem plane nectitur. Denique ultima uteri portio in vaginae ampullam *immersa* cartilagineam duritiem nansciscitur. Non nisi duas ultra uteri lineas cervix ejusdem in canalem coit brevem mox sub urethrae rotundato et quasi oblique truncato ostio terminatum.

Uteri ostium non ita tumefactis ac in virgineis genitalibus et clausis sibique incumbentibus conspicitur labris sed orbiculari margine apertum cingitur ostium ita, ut gravidae mulieris uteri os imminuto partium perimetro exacte referat. Est nempe inferius et posterius orificii uteri labium altius in vaginam protrusum quam, quod ita dicitur, superius, quod versus uteri corpus retractum duplici quasi plica in ostium modo dictum dehiscere cernitur.

Ab oris uterini inferiori parte duae videntur plicae seu columellae cutaneae, quae in vaginalem ampullam protenduntur, ibique sensim evanescunt. Magis versus exteriora aliae duae sitae sunt plicae, quae urethram terminant, ejusque ostium vaginale cingunt.

Quodsi ut uteri fabricam internam lustremus, vesicam urinariam mediam discindimus, eandem cum uteri collo intimius connexam animadvertemus adeo, ut et urethram et uteri cervicem disecare oporteat, ut interior uteri fabrica penitius perspiciatur.

Venit nunc in conspectum uteri cystoidis cavum, quod tunica propria ex vagina per uteri orificium continuata investitur. Laxius haec membrana cellulosa uteri textui adhaeret, et in variis ejusdem locis in plicas transversas componitur. Hoc praecipue in uteri cervice conspicitur, ubi scillicet in utero perfecte muliebri rugarum columnae sibi incumbunt, arborem sic dictam vitae constituentes, ita ut hic et numerosiores et magis cumulatae istae plicae adpareant.

Praeter uteri orificium, quo in vaginam patet aditus, nullum aliud in uteri corpore aut fundo videtur ostium adeo, ut hoc structurae modo uterus infantis androgyni ab utero perfectae mulieris insigni nota differat. Est quidem quod mireris, etiam hic uterus, eodem plane modo ab utraque fundi parte perforatus, hocque duplex ostium replet canalis, qui per propriam uteri membranam tegitur, ita ut in hujus uteri latere utroque plicam distincte conspicias, quae ab hoc ductu, et cingente eundem membrana efformatur. Ductus deferens plane apertus est, et insigni lumine patet. Non vero ubi in abdominis cavum appulit, retro ossium pubis ramum versus cavum pelvis inferiorem reflectitur, ut ibi, sicut in perfectioris viri fabrica id contigit, in vesiculas abeat seminales collo vesicae adnexas, sed retro vesicam supra pubis ossa magno volumine eminentem,

per latum transit peritonaei duplicatum processum, qui versus uterum reflexus eidem ligamenti lati adinstar adhaeret.

Hoc uteri ligamentum latum ab utroque ossis sacri anguli versus psoae musculi latus exterius procedit, et uteri cavum investit. Quemadmodum hac duplicata membrana in foeminis angulo superiore teres ligamentum suscipitur, ita hic ductus seminis deferens hac plica involvitur, qui tantum abest, ut in pelvis fundum se insinuet; ut potius hic multo magis ascendat et recta linea et sub recti anguli norma in uteri cystoidis substantiam transeat. Ubi ductus hic deferens duplicatum peritonaei processum ingreditur, insignem constituit glommerem rotundum et quasi granulis glandulosis compositum, retro quem ureteres huic glommerulo tela cellulosa annexi in vesicam urinariam descendunt.

Si accuratiori hos glommeres indagini subjiciamus, cultello cellulosam, quae eosdem involvit, removeamus in aperto est, eosdem nihil esse aliud nisi ductum deferentem, variis circumvolutionibus juxta se positum et cellulosa unitum, cur nihilominus granula quaedam glandulosa in eodem celluloso contextu sita adhaerescere conspiciuntur; si enim parva haec corpuscula destructa cellulosa diducamus in unicum ductum eosdem extendere licet. Cum ergo haec structura prorsus cum illa vesicularum seminalium conveniat, quae praeter quaedam diverticula nihil aliud sunt, nisi ductus deferens in fasciculum congestus, hos glommeres, licet revera inter duplicatam peritonaei membranam recepti ovariorum occupant locum, vesiculas seminales appellare liceat, cum quamvis a vesica urinaria remotae sint, tamen haec receptacula spermatis constituunt, continuato ductu in uterum desinentia. Ubi ex hoc glommere retro sub angulo uteri membranas subiit hic ductus, oculo nunc prorsus se subducit, ita quidem, ut ejus ulteriorem decursum ne divinare quidem possimus.

Cum interim Akermann de directione hujus canalis certior esse vellet, ductum deferentem post vesiculas seminales incidit, atque tubum hydrargyro repletum in canalis deferentis lumen immisit, quo facto non tantum de omni, qua fertur canalis, directione, sed de ejusdem memorabili exitu certior redditus fuit. Vidit nimirum hoc artificio ductus hunc deferentem canalem revera in eo circiter loco, quo secundum perfectae mulieris normam tubae Fallopianae uterum transeunt, proprium matricis textum perforare, et interno uteri parieti adhaerescere, minime vero hiante ibi orificio aperiri, sed versus uteri utrumque latus ad inferiora reflecti et membrana rugosa, quae ex tunica interna vaginae in uterum producta conflatur, ita tegi, ut nulla hic absconditi ductus suspicio criatur. Tunc demum, ubi injecto mercurio ductus extenditur et ampliatur, videmus in dextra uteri regione vel potius tactu sentimus hunc canalem versus uteri cervicem descendere et plicam longitudinalem, qui in sinistro uteri cystoidis latere videtur, ab hoc prominente ductu oriri certiores reddimur.

Ubi demum uteri collum attigit ductus deferens, in ejusdem substantiam se immergit et nunc imminuto sensim diametro adeo decrescit ejus lumen, ut oculo non armato, nisi distentatur mercurio ductus, persequi eundem impares simus.

Descendit autem, uti effluens nobis mercurii guttula ostendit, ad orificii uteri, ubi idem in vaginae ampullam protenditur, utrumque latus, ubi ostio perexiguo terminatur. Haec partium genitalium structura androgyna hunc nobis proprium ostendit characterem; ejaculatoria seminis orificia in eadem circiter urethrae regione aperiri, quod in perfecti viri urethrali isthmo observatur, utrique orificium in vaginam urethralem hic protendi duobusque ostiis perforatum esse colliculi seminalis adinstar, qui eodem in loco licet exiguae plicae forma emineat parva columella versus anteriora productus, eadem plane ratione, ac in nostro exemplari, quod

et colliculi seminalis et portionis uteri vaginalis formas medias imitatur, duobus columellis in ampullam vaginalem anterius producitur, quae in ejusdem tunica investiente sensim sensimque disparent.

8) Historiam, quam nunc describo, ipsemet observavi, et ab ea ad accuratius diligentiusque studium hujus generis inductus fui.

In ultima nempe periodo, ubi Vindobonae conversavi, studio praxis medicae operam navans, in instituto paturientibus et puerperis destinato inter alias puellae cuidam qua medicus obstetricator sub directione Celeberrimi Boër assistebam, quae tempore partus adveniente sine magna difficultate infantem maturum quidem, sed parvum macilentum, immo exilem, ac asphyxia detentum in lucem edidit, quem omni labore ardenter impenso in vitam tantum brevem revocare mihi contigit, et infans jam post mediam horam elapsam ablutione accepta diem obiit supremum.

In hoc infante androgyno, quem ob genitalium externorum formationem puellum perfecte, normaliterque formatum putabam, talipedes vari exquisitissimi et summi gradus attentionem meam in se converterunt. Hinc infantem partim talipedum ergo, ut eos conservarem, partim variarum substantiarum organicarum disquisitionis gratia acquirere studui. Cum autem praecipue similitudinem gelatinae Warthonianae in funiculo umbilicali cum corneae substantia ratione formationis conferrem, primo jam momento superficiem abdominis externam, ab umbilico ad ossium pubis symphysin rugis, plicisque obsitam, inveni, quas in puerpera, tempore graviditatis ventre antrorsum propendente munita, videre licet; et adtactu in regione illa corpus ovatorotundum, valde durum, ovi anserini magnitudine, detegi. Cum dictum corpus durum abdominis operculo concretione abnormi intime adjunctum mihi videretur, laesionem cujuscunque partis praecavens, illius corporis circumscriptione integumenta abdominalia

aperui. Postquam, quantum circumstantiae favebant, cutim etc. praeter exiguam partem illam in umbilici circumferentia (vid. Fig. I. et IV. a a a) removeram, corpus istud ovale ac durum in conspectu jacebat; et primo intuitu dubius de vera ejus natura adstiti; modo id pro vesica urinaria habui, modo hanc opinionem iterum refutavi. Pro vesica urinaria testatus est corporis situs, etsi forma, substantia et extensio ejus contradicerent. Tandem vena umbilicali disecta totum corpus ovoideum supra ossium pubis symphysin reversum in femur dextrum posui (uti Fig. II. A. videre licet.) Nunc apparuit retro corpus, pro vesica hucusque habitum, aliud corpus cystiforme, piro aut phialae cuidam haud absimile, quod revera normalis suae formae respectu pro vesica declarare magis lubuit, quia ductus deferentes et testiculi in abdomine quidem retensi oculis tamen primo momento subducti fuerant, praeteraque corpus cyſtiforme liquidum continere videbatur, simulque diminuta rigiditas et color substantiae plus quam in priori corpore pro vesica stabat. Ut omne dubium abigam, omnia ad apparatum chylopoëticum pertinentia organa, excepto intestino recto, removi et abdomine ita exemi, ut fere idea figurae II. succederet. Nunc autem renes degeneratos eorumque ureteres innormaliter dilatatos, distensos, intestinorum simili modo fluxuosos tandemque in corpus cystiforme prius desinentes detegi. Ast in fundo secundi corporis cystici canales tubis Fallopianis similes observavi eum in locum excurrentes, quo plerumque ovaria, seu testes muliebres sunt locati, hic vero testes viriles sed respectu infantis maturi nimium exiles; quod autem eorum Gubernaculum nomine Hunteri consignitum attinet, juxta regulas naturales a testiculis per annulum abdominalem in scrotum descendens, et in puello ex fine sexti mensis vitae ejus uterinae Fig. V. Tab. II. delineato litteris f. et g. notatum, hic fere id omnino desideravi. Scrotum rugosum testiculis carens tamen textu celluloso-fibroso, qui ab autoribus tunica dartos vocatur, instructum et ita repletum fuit, ut solo intuitu id testiculis munitum credideris. Scroti facies externa raphe, quae ex una parte in perinaeum, ex altera autem in penis faciem inferiorem continuabatur, solito modo fuit

consignita. Glans penis, qui puero hujus aetatis omnino conveniebat, praeputio cincta et in facie anteriori quidem perforata fuit, sed stilus introductus vel seta suilla inmissa urethram haud ulterius penetrare potuit quam paululum post fossam navicularem.

Omnino jam certus, adesse organa genitalia et urinaria monstrose formata, heic pertinentia diligentissime inquirebam et primum quidem renes, ureteres et vesicam. Haec usque ad umbilicum (vid. Fig. I. litt. A.) immoque fundo sinuato in parte dextra (Fig. IV. Tab. I. litt. cc. Fig. II. litt. Z.) supra annulum umbilcalem e pelvis cavo ascendit. Volumen vesicae quoque respectu latitudinis valde adauctum est, totumque corpus secundum cystiforme tegit, cujus margo lateralis sinister tantum pone vesicam urinariam prominulus animadvertitur. Ob majorem vesicae urinariae distentionem lateralem arteriae umbilicales, quae in adultis obliteratae sunt, et ligamenta inguinalia interna vocantur, non omnino ad latera ejus sunt locatae, sed potius in facie ejus anteriori volumine sensim sensimque se diminuentes, flexuoseque serpentantes ascendunt; quorum vasorum facies interior versus vesicae fundum pluribus sinulis et sacculis venarum varicosarum modo instructa; lumen eorum autem praecipue in latere dextro ita diminutum fuit, ut vix sanguis permeare posset. Versus ossium pubis symphysin vesicae corpus in collum perlongum abit, cujus parti posteriori quoddam glandulae prostatae persimile sed non nihil majus corpus nodosum adjacet, in quod alterum corpus cystoideum collo tenui sat longo desinit ductus ejaculatorii modo. Non solum istud corpus nodosum sed etiam vesica sentiebatur aspera, turgida, rigida coriacea et in sectione ibi nil inveniebatur nisi parum fluidi mucosi; superficies vesicae vero interior, valde rigida et inaequalis, nodis villosis consita, multisque sinubus instructa fuit, quorum maximus ille in dextra fundi vesicalis parte posteriori jacet. Vesicae urinariae parietes sat crassi ac rigidi fuere inprimis tunica carnea, et ipsa membrana mucosa non nihil turgidior ac densior, ut omne hoc in cystitite chronica fieri solet, prae-

cipue in morbis calculorum praesentia erectis. Non minus autem fuerunt degenerata alia systematis urinarii organa et statum inflammationis progressae hic quoque designant. Ureteres adscensu ad renes degeneratos innormaliter dilatati, praecipue lateris sinistri ille, multis gyris et circumvolutionibus intestinorum modo serpentant, tandemque angustiori diametro mediante pelvi renibus implantantur. Ren dexter valde exilis, magnitudine fabae sat mediocris, e diametro antroposteriori compressae, vix quartam pollicis partem longitudine, duasque crassilie lineas attigit; substantia ejus autem non amplius in lobos distinctos divisa, sed satis cohaerens et omnino compacta. In rene dextro autem obveniebat deformitas quaedam magis adhuc singularis quam praecedens et me sciente usquedum in infante recens nato nondum observata, quamquam casus ille in cadaveribus adultorum non raro observatur, et mihi ipsi jam sub variis formis pluries contigiſſe scio. De renum substantiae phthysi aut successiva ejus consumtione hydatidumque formatione, lobulis renum primordialibus respondentium hic loquor. Quandoque nempe unus alterve, aut uterque quoque ren morbo chronico, hydropesia renali tandem ita dissolvuntur, ut unus alterve lobulus, aut plures simul, substantia consumpta, in tunica, unicuique lobo propria, nihil nisi aquam aut urinam contineant. Etsi hydropisia renis quandoque non universalis sit, alia tamen substantiae pars jam iterum in lobulos primordiales dispesci incipit, ita, ut in ulteriori vitae continuatione totus ren ex nil alio nisi vesiculis primordialibus consistat. Talis fuit in infante hoc misero renis sinistri status, jam a primae formationis tempore eruendus. Racemosum et vesiculosum corpus quoddam, cujus longitudo tres pollicis partes quadrantes attingit, renis locum occupat, et pelvi sua renali ureterem ejusdem lateris degeneratum assumit. Vesiculae renis deformis aeque ac lateris uteriusque ureter liquidum subflavum, limpidum continebant, sed vesiculae semel per pelvim evacuatae, syphone aut tubu quodam non amplius clare et distincte inflari potuerunt. Quot renes succenturiatos attinet, eos bene perfecteque formatos inveni.

Ostium inferius ureteris dextri paululum sinistro altius est positum, et corpus vesicae trigonum, quod alias in statu sano nil est, nisi spatium in forma trianguli elatum et insertione et continuatione ureterum ita formatum, ut fibrae illorum fibris musculosis membranae carnosae admisceantur, antrorsumque convergentes, illisque intermixtae in regionem cristae galli transeant. Hoc spatium triangulare alias praecipue innotescit ureteribus intensis, si urethra quoque fixa fuerit; heic autem ob tumidam ac villosam vesicae membranam internam (vid. Fig. IV. litt. ee. ff.) vix conspicitur et angulus anterior in ampullam quandam vaginalem (vid. Fig. IV. Z. f. g. f.) a cavo corporis illius nodosi, glandulaeque prostatae aspectu externo (vid. Fig. I. et II. *l.*) ratione formae et situs haud absimilis excurrit. Ampulla haec ibi jacet, ubi alias in puero verumontanum prostataeque anterior facies excavata, in urethrae musculosae partem versa, apparet. Ampullae hujus cavum angustum a quodam glandulae prostatae tam quoad formam externam quam quoad situm persimili corpore constituto, veram refert vaginam, minoris tantum voluminis, quae heic autem glandulae prostatae loco apertura quadam infundibiliformi in urethram alias perfecte virilem hiat, propriaque apertura seu rima vulvali caret. Vagina haec cavo suo infundibiliformi totam urethrae internae partem posteriorem occupat et unicam tantum cavitatem communem constituunt inter se, cum prostata et verumontanum urethrae virili desunt, aut potius haec pseudovagina eorum vice fungitur. Cavitas haec communis autem mox derepente coarctior angustiorque fit in regione, ubi urethrae virili bulbus in inferiori et externa facie adjacet, illiusque pars externa seu spongiosa, nymphis mulierum respondens incipit. Cavitas haec in duabus directionibus diversis foras tetendiſſe videtur; natura monstrat conamen errores suos corrigendi, vaginae exitum loco consueto et naturali reparandi, sejungendique communicationem ejus cum urethra alias perfecte virili, quae abhinc perangusta in penis inferiori parte usque ad glandis apicem decurrit, ibique orificio naturali, satisque magno patet.

Lumen urethrae tenuis tam exile et angustum fuit, ut jam ab initio in regione bulbi vix setam suillam protrudere possem, quod tandem pone fossam navicularem omnino denegatum fuerit; quamquam fossa navicularis et apertura externa iterum normaliter formatae sint. Cavitas infundibiliformis seu pseudovagina, vel ampulla vaginalis Akermanni ex omnibus rationibus veram vaginam muliebrem similitudine referrens, plicis rugisque numerosis clare distinctis, neque perfecte longitudinaliter neque omnino in circulum sed magis oblique excurrentibus, fundumque infundibuli versus convergentibus, constituta fuit. Rugae autem illae in infundibili margine anteriori sensim sub columellae torosae forma ad urethrae externae seu spongiosae partem decurrentes, sinulum coecum pone bulbum cavernosum formant, qui in delineatione Tab. I. Fig. IV. Litt. *h.* consignitus sed non sufficienter exaratus est. Similem quoque ampullam vaginalem cum urethra coincidentem, minorem tamen praesente descripta rugis plicisque minoribus magisque longitudinaliter excurrentibus obsitam vides in delineatione infantis androgyni, ab Akermanno descripti, simulque ibi versus urethrae spongiosae initium praesenti tantum majorem conspicis sinum coecum. Utroque in casu natura hac formatione foras petere sibique aperturam vaginae naturalem acquirere studuit; sat conamen fuit frustraneum! Si intensio haec naturae felici successu fuisset coronata, tunc similitudo cum historia filliae pharmacopei Romani a Fabero communicata (vid. pag. 85.) clarior apparuisset; tunc hic utpote illic urinae sub radice penis promanarent, etsi penis canali urethrali instructus sit, et individuum nostrum quoad hanc formationem hypospadiaeum tertiae classis repraesentaret; sed nisus formativus in urethra formanda praevaluit, vaginamque sua in formatione implicatam retinuit; cum e contrario in Akermanni infante androgyno vaginae formatio praeponderavit illam urethrae virilis. Etsi ibi quoque ampulla vaginalis in sinulo pone urethrae spongiosam partem foras non penetraverit, ductum tamen sat amplum unacum urethra virili formans in penis facie inferiori progrediebatur, glandem penis autem non adsequebatur sed vaginae formatio denique illi ure-

[illegible] partem [illegible]. Organum hoc [illegible]. vagina haec urethralis semper [illegible] hypospadiaeorum secundae [illegible] in vagina urethrali aperta ab illa regione [illegible] tendebat, usque ad ejus finem anteriorem [illegible] urethrae [illegible] spongiosus, minus solito [illegible] ne minimum quidem observare potui. [illegible] contrariam observas urethrae formationem in vaginam [illegible]. Bulbus distinctus, normalis, mentula [illegible] imo partim impermeabilis ([illegible] abnormisque reliquae partis urethrae spongiosae angustiae)

In utroque autem individuo, [illegible], defecerunt glandula prostata, verumontanum, vesiculaeque seminales. e contrario unicuique harum partium loco fuit ampulla quaedam vaginalis, plus aut minus distincta, rugosa, plicata, extra propria tamen, [illegible] rimula vulvali carente. In fundo utriusque ampullae vaginalis haud procul ab orificio vesicae urinariae conspicitur aliud orificium orbiculari margine cinctum, ex quo in nostro exemplari columella quaedam plicis membranae mucosae formata, sensim se diminuens, e vagina in urethrae posteriorem partem descendit et in sinulum coecum supra memoratum et litt. h. Fig. IV. signitum, desinit.

Membrana illa villosa vesicae urinariae interna continuatione ampullam vaginalem plicis rugisque investiens, ex una parte in urethram excurrit, ex altera autem per illud orificium, in vaginam patuum, continuatur in aliam cavitatem corporis cujusdam, quod piri oblongi formam studiose, perfecteque aemulat. (vid. Tab. II. Fig. III. litt. B. l. k. i.)

Corpus hoc secundum merito uterus cystoides vocari potest; ab utero autem normali et forma et magnitudine valde differt. (vid. Tab. I. Fig. IV. ubi orificium Z in collum g. vel k. Fig. III. ducit). Collum illud ¼ partem pollicis longitudine, caulisque pennae scriptoriae minoris crassitiem mentiens,

sensim sensimque abiit in corpus piri crassius ibique format mediam ejus partem versus incissionem quandam transversalem, plicis haustrisque coli similem, formationeque ligamentosa secundum corporis longitudinem ortam, ita ut duo segmenta quasi globularia oriantur in hoc corpore epycoeno, a peritonaeo involuto. Textus hujus corporis praecipue colli ejus membranam refert densam, coriaceam, licet non crassam. Membrana ejus interna seu cellulosa laxius adhaerere videbatur, praecipue in uteri cystoidis cervice, ubi numerosiores, cumulataeque plicae, septulis illis, cellulisque in vesicae felleae collo obvenientibus haud absimiles formabantur, ita ut immissionem stili cujusdam quodam modo impediant.

Fundus uteri globose fornicatus excipit duos ductus flexuose serpentantes, qui ad ejus latera in iliacas regiones descendunt, ubique veris testiculis solito tamen ratione aetatis exilioribus inseruntur. Uterque ductus solidus, imperforatus in decursu nodulis rubicundis, glandulis meseraicis foetus aut infantis recens nati similibus est consitus (vid. n. n. n. oo.) eodem fere modo, quo tales cel. Akermannus in infante suo androgyno descripsit, quosque ille vesiculas seminales repraesentare credidit. In nostro individuo hi noduli constant e granulis glandulosis, quae inter peritonaei laminas contextu celluloso ductibus quidem ipsis arcte adhaerent; sed cultello tamen facile removentur, quin ductus laedantur. Ast nec unum nec alterum ductum tali modo conglobatum inveni, quali Akermannus illos sui infantis androgyni descripsit pag. 102. Haec formatio ductuum deferentium in glommum contortorum mihi in memoriam revocat, quod Dr. Spix de hirudine medicinali scribit vide pag. 72, et heic pro natura hermaphroditorum analoga testatur. Non potui Akermannii modo, celluloso textu destructo, glomum diducere et in unicum ductum extendere. Ductus ne minime quidem fuerunt convoluti in glomum quendam, sed noduli glandulosi tantum iis adhaerebant. Ductus hi etsi nimium graciles, solidi et impermeabiles ob rationem cum reliquis genitalium partibus praecipue cum testiculis pro ductibus deferentibus et ratione

insertionis in uterum cystoideum pro tubis Fallopianis sunt habendi. Insertio eorum in uterum autem non loco consueto sed magis ejus fundum versus, imo in media fere ejus parte fit. Testiculi ileis adjacentes etsi nimium exiles fuerunt bene formati et distinctis epydidymidibus instructi; in quibus gyri ductuum deferentium contorti clare distinguuntur. Quisque lectorum etiam sine mentione facile videbit, maximam analogiam adesse inter historiam praecedentem et modo descriptam, utroque in casu status hermaphroditico-aphroditicus clare patet; etsi prototypus virilis non sit dignoscendus. Ideoque valde erravere illi autores, qui contendebant: Omnes hermaphroditi nil sunt nisi foeminae deformes clitoride monstrose elongata munitae. Ast etiam illi in falso sunt, qui credunt, omnes hermaphroditos sic dictos solummodo pueros esse imperfectos atque defectivos.

Individua utriusque sexus possunt excedente nisu formativo organa unius alteriusve sexus perfecte formata habere, et simul uno aliove organo ejusdem, aut oppositi sexus superfluere, et contra (quod sine dubio saepius contingit, quam casus praecedens) nisu formativo defectivo in inferiori formationis evolutionisque gradu retineri, aut uno alterove aut pluribus sexus organis simul carere, aut nisu formativo alienato in formatione sexualium vario modo quoque in sexus oppositi polum alienari. Quo clare patet, nec unum sexum ex alio manare, sed utrumque e statu quodam indifferenti. Generatione homo fit; mas et foemina simul, sed potentia tantum.

Historiae sequentes praecipue demonstrabunt organorum sexus muliebris defectum, retensionem, excessum monstrosum et alienationem in polum virile. — Haesito autem haec phoenomena inter se tam diversa exsplicare. Credo autem ex parte matris statum sanitatis relativae multum conferre, praecipue in primis foetus formandi temporibus. Mater infantis, cujus historiam modo descripsi, in regionibus urbis Vindobonae nata, fuit puella 17 annorum, statura parva, bene formata, corpore sano, atque ro-

busto. Ast, ubi institutum mense Aprili ann. 1813 intravit, pedum tamen erysipelate pustuloso laborans in gravidarum aegrotarum cubile fuit missa, moxque ibi reconvaluit. Paulo post peperat. Cum infantem deformem inveniebam, examen acuratius in gravidae vitam institui. Pater infantis socius mercenarius caementarii cujusdam, sanus, firmus, aeque ac mater fuit; quae autem versus septimanam septimam febri acuta, uti dixit, nervosa, fuit correpta, graviterque aegra per sex septimanas detensa tandem perfecte reconvaluit. Ast in decursu graviditatis ter quoque per occasum colapsa esse contendebat; quo multum doloris perpessa esset; unus lapsus fuit antrorsum aliisque ad latus. Terminum autem lapsuum non amplius mihi designare potuit, aut noluit. Forsan hi lapsus quoque fuerint plenarie ficti, quia sub finem examinis multas interrogationes suggestivas posui suspiciens, ne puella materias abortivas sumserit, quae febrim ejus nervosam excitavissent; quia puella mihi jam prius dixit, matrem suam, quam in numerum foeminarum astutarum, speciemque prudentiae praeseferrentium habeo, illi jam diu praedixisse, quod infans non vivus partu eventurus esset. Akermannus quoque, statum sanitatis parentum respiciens dicit: „Mater corporis habitu flaccido et laxo, vitae sedentariae adsueta, et asthenicis semper morbis infestata;" alii autores quoque describunt androgynorum matres debiles.

Hermaphroditi muliebres seu gynandri.

Individua hujus classis iterum dividuntur in hermaphroditos veros et spurios. Genus spuriorum comprehendit diversos cercosis gradus, ubi nempe clitoris magis aut minus aucta et prolongata apparet, cui autem urethra ejusque corpus spongiosum simul deficiunt; et vaginae orificium non raro est insolito coarctatum. Individuis hujus generis sexus muliebris functio plenaria omnino convenit, imo illae non raro insolito salaciores inter se aliisque cum foeminis cohabitant; unde Graeci illas futatores, in quarum numero famosa illa Sapho fuit, appellarunt. Alii Autores in censum hermaphroditorum spuriorum adhuc numerant individua praecipue muliebria, quibus prolapsus

aut inversio vesicae urinariae, aut defectus ejus parietis anterioris, ubi simul symphysis ossium pubis et operculum abdominale in regione vesicali deficiunt.

1) Saviardus nobis historiam individui cujusdam communicavit, cui ob genitalium virilium apparentem praeponderantiam vestimenta virilia judicibus publicis praescribuntur. Postea Parisiis se publice monstravit, et ab omnibus praesentibus, imo medicis ipsis pro hermaphrodito fuit habitum. Saviardus autem naturam muliebrem in ea recognovit, et repositione uteri prolapsus singulariter formati, formam quoque genitalium muliebrium iterum in novum Parisiorum restituit mirum. Similem fere casum Homeus de foemina quadam Franco-gallica nobis tradidit, quae Londini se monstravit; probabiliter eadem quae praecedens. Uteri prolapsus jam a primis vitae annis existens cum aetate progredienti augmentabatur. Collum uteri perangustum anno 25 aetatis puellae plures pollices longum ex orificio vaginae externo protrudebatur. Superficies internarum partium tam diu jam protrusarum, ab aëris contactu aliisque injuriis vexatarum forma naturali perdita, cutim mentulae virilis referebat.

2) Maria Augé Parisiis nata, a parentibus suis, puella educata, sexualium autem deformitate serius recognita, multis delineata, pluribusque adhuc visa, tandem Londinum petiit. Erat illi statura mediocris, temperamentum hilare et vivax, facies oblonga, vultus lineamenta non insolita, regularia, mammae mediocriter soriorantes, coxendices autem inaequales. Clitoris monstrosa simulabat penem glande et praeputio instructum, cui autem urethra virilis tamen deficiebat. Corpora cavernasa ipsa ad latera esse videbantur. (De quibus autem nunc non amplius dubitatur, quia corpora cavernosa non peni tantum sed etiam clitoridi conveniunt; utpote nymphae virilis urethrae parti spongiosae respondent.) Porro infra penem clitorideum labia majora refexione cutis formata conspiciebantur;

urethra muliebris normaliter est. constituta, novaque cutis inversione in nympharum formam vulva regularis oritur. Vagina autem paulum solito coarctatior vix digitum admisit.

3) Similem casum quoque Schneiderus Fuldensis observavit. Infans aetatis suae biennio vix peracto atrophia emortua, puella baptizata, corporis habitum omnino muliebrem monstrabat. Neque autem pudendorum aderant labia majora neque minora, neque regularis rima vulvalis; penis clitorideus supra prominebat, glans illi erat parva praeputio munita sed imperforata, et loco, ubi alias orificium urethrae patet, punctum, impressio sane, apparuit. Infans adhuc vivens parentum testimonio penem hunc clitorideum manibus agitando adsueta fuit. Lineas quasdam infra penem patuit orificium quoddam scopo duplici, urinarum nempe excretioni, vaginaeque aditui simul inserviens. Apertura haec recta via ad orificium uteri conduxit et canalis a natura quasi vagina constituta videbatur; nam ratione aetatis tam longitudo quam latitudo aeque ac rugae ejus fuere normales. Solummodo in vaginae superiori vel potius anteriori pariete aderat canalis in vesicam urinariam conducens urethraeque muliebris vice fungens, quo in viva adhuc infante urinae continuatim quidem stillabant, nunquam autem cum vehementia quadam, tanto minus adhuc radium formantes promanabant; e contra matre teste illae semper femoralia sequentes tibialia infantis inquinavere. Ceterae genitalium partes veram normalemque naturam muliebrem monstravere, quibus in futurum ne minime quidem sexus muliebris plenaria functio fuisset deneganda.

4) Gallay chirurgus Gargenvillensis in regione urbis Mantes in Normandia sitae, vidit in pago Issou prope Mantes cadaver foeminae cujusdam hucusque ab omnibus pro hermaphrodito habitae. Partes genitales externas normaliter formatas, labia majora, nymphas etc. inveniebat. In vulvae superiori angulo, ubi alias in foeminis clitoris sedet, prominebat

penis optime formatus. Glans ejus proportionata, partim praeputio cincta, corona tam distincta praedita fuit, ut perfecti viri organo adaequaret. In glandis summo orificium patuit, per quod algali seu stilus immissus in vesicam urinariam penetrabat, unde nunc parum urinae, ibi contentae, profluit. Penis longitudo metiebatur tres pollices et dimidium, ejusque circumferentia autem tres pollices cum quatuor lineis. Urinae non alius fuit exitus quam corporis hujus canalis. In pudendorum labiis majoribus testiculi non inveniebantur. Vagina normalem suum habuit situm in inferiori vulvae parte. Digitis intrans exploravit eam, ibique invenit orificium uteri, cujus margines perduri, ut ita dicam, cartilaginei fuere.

In aperto abdomine nil detegit singulare; aderant ovaria, tubae Fallopianae, et uterus scirrhosus. Mentulam virili modo saepe saepius se arigisse maritus fuit testatus; an erectus semen aut aliam materiam similem unquam emiserit, nescivit, menstruatio autem regularis utpote aliis in foeminis adparuit periodis certis et destinatis. Ast foemina nunquam peperit. Facies illi erat pilosa, vox dura, rauca, virilis.

5) Uterus bicornis atque monstrosus Tab. II. Fig. VI. delineatus et jam supra pag. 11. memoratus, nunc clarius autem describendus, e cadavere foeminae 58 ann. sumptus fuit. Uterus repraesentat duo cornua convenientia in corpus unum pollicem et longum et latum atque tres quatrantes pollicis partes profundum, quod nil nisi utriusque cornu collum commune est. Orificium colli externum litt. b. labiis suis, inter quae rima transversalis obvenit, in vaginam abscissam anteriusque apertam litt. a. a. prominet; labium posterius tantummodo paululum solito minus, neque sat bene distinctum est. Utero discecto in conspectum veniunt plicae palmatae colli, quae sensim in uteri cornua crassa, circiter unum pollicem et dimidium longa et dimidium pollicem lata, intus cava membrana laevi, mucosa obducta, versusque tubarum ortum sinu cocco in desinentia ex-

currunt. Et colli et cornuum substantia valde densa et solida, imo modum solitum ipsum excedens. Tubae Fallopianae degeneratae sat tenues imperfectaeque cornibus solide egrediuntur, in decursu autem majores excavataeque massam caseosam, fluidumque turbidum continent.

Tuba dextra duabus radicibus (litt. e. e.) a cornu correspondente oriens, arcum seu arsam formans, in canalem communem convenit, quin in fimbrias excurrat. Radix, altera paululum crassior, flexuose serpentans a cornu ad latus dextrum ascendit et ovarii extremitatem multum excedens, derepente amplior facta, dein versus uterum reflexa tandem descendit in margine ovarii externo, alteramque ansae radicem priori paululum tenuiorem, solidam, non cavam formans, iterum cornui implantatur. Tuba suo in arcu crasso aperta, fluidum turbidum et materia quaedam caseosa obveniebant, et stilum introductum ad radicum originem usque protrudere potui, ibi autem earum canalis omnino evanuit. Ovarium hujus lateris sat bene formatum ligamento alato, a radice secunda orto, et ligamento utero-ovarino fuit detentum. A membrana serosa, e peritonaeo continua tubamque hanc degeneratam obducente fibrae quaedam fimbiarum modo in ovarium trajiciuntur, quae simul ejus ligamentum alatum constituunt. Tuba lateris sinistri primo intuitu magis apparet normalis; radice tenui, solida, et impermeabili orta, sensim cava crassiorque facta, ovarium sui lateris in margine posteriori multum transgreditur; tandem valde tumida et crassa reflectitur ad extrimatem ovarii superiorem, cujus margini posteriori firmiter accreta sinumque coecum ibi formans adhaeret. Ovarium alias bene formatum ligamento utero-ovarino cornui alligatur. Membrana tubae externa e peritonaeo continua sub fimbriarum forma quoque hic in ovarium trajicitur, eique diversis ligamentulis frenulisque adhaeret, quibus ablatis autem quoque transitus immediatus substantiae ovarii in tubam apparet. Tubae intumescentia haec versus ovarii extremitatem superiorem primo intuitu formam epydidymidis mentit; de-

cursus illius abnormis, longitudo insueta insolitusque concretus de alienatione organorum sexus muliebris in virilia testantur. Substantia tubarum densa, coriacea multumque crassior, quam alias in tubis apparere solet. Membrana earum interna mucosa, aspera, multisque consita villis sat longis in cristas diversas collectis, parti placentae uterinae similibus, unde massa caseosa, et fluidum turbidum secernebantur. Foemina etsi amori venereo libidinose dedita, uti fama fertur, nunquam tamen peperit; ast causa jam ex supradictis clare patet. An menstrua habuerit, nescio, ast longum tempus fluore albo laboravisse fertur.

Similem tubarum ovariis concretarum casum quoque Vindobonae jam observavi in nosodochii universalis museo pathologico. Uterus ex omnibus partibus perfectus excurruit in tubas Fallopianas, quae cum ovariis in eorum extremitate superiori caput epydidymidis intumescentia quadam simulantes cohaerebant. Etsi hic locus non est, tractandi de vitiis sexualium muliebrium, nisi haec organa simul deflectuntur in sexum masculum, attamen hic adducam observationem meam uteri leviter bicornis e cadavere puellae 15 annorum sumpti, ubi collum ratione totius perlongum et fere nullum uteri orificium externum apparet.

Porro hic adduci meretur historia foeminae Bambergensis 67 ann. et per 30 maritae, bene formoseque formatae, quae fluore albo quidem semper laboravit, nunquam autem menstrua habuit nunquamque peperit, etsi maritus cum ancilla plures infantes progenuit. Institui sectionem cadaveris marito inscio, etsi hic extra cubilis januam stabat vix permittens inspectionem ocularem genitalium externorum, quae normaliter perfecteque formata inveniebam; statim adtentionem meam adduxit tumor osseus in latere sinistro situatus, ubi alias ovarium haerere solet; quapropter uterum, cui tumor annectebatur, cito exemi. Hac operatione nimium festinans laceravi tumorem, ex quo nunc massa quaedam grisea, viscida, saponacea

calci arenatae caementariorum similis in magna quantitate prodibat. In accuratiori disquisitione vaginam naturali curtiorem fereque nullis rugis consitam inveni, orificium uteri externum normale, uterum autem ipsum nimium spongiosum; qui versus tubarum ortum naturalem in duo cornua fibroso-spongiosa applanata excurrebat quin verae tubae et fimbriae formarentur. Ovaria quidem aderant in hac massa, sed vix cognoscenda et tam exilia uti in puellis adhuc impubibus inveniuntur. Cum a massa illa fibrosa tubas non distincte seperare potui, earum canalem ex uteri cavo decrevi stilis auxiliantibus quaerere, et uterum ab orificio colli incipiens aperui. Collum bene normaliterque formatum inveni; ast membrana ejus interna mucosa, e vagina per orificium externum in uteri cavum alias continua, heic jam intra orificium internum sinu coeco desiit. Nulla adfuit uteri cavitas, corpus solidum autem hinc inde tamen, praecipue in media parte sua et versus cornu sinistrum, continebat loculamenta sinuosa quaedam, membrana mucosa nullibi obducta. Nullus adfuit tubarum aditus, sed eae fuerunt solidae aeque ac uterus et adhuc minus distinctae; textus earum fibrosus solide excurrebat ligamentorum uteri rotundorum simili modo, quae sat crassae apparebant.

Tuba lateris sinistri ex utero radice pollicem lata, et quatuor lineas crassa prodibat; dein mox formabat cavum magnitudine pomi citri majoris, quo massa illa calcaria continebatur. Parietes cavitatis globosae partim fuerunt constitutae membrana coriacea, extus glabra, intus aspera partim testa ossea, extus a peritonaeo trajecto glabra, valde dura, imo petrosa, intus foliata et fragili. In extremitate hujus tumoris externa et superiori conspicitur ovarii rudimentum, et fasciculus, fibrarum ex utero continuarum ei adjacens, excurrit fimbriarum formationem aliquomodo simulans. Tuba sinistra ab utero descriptae priori radice fere aequali oritur, ligamentum rotundum antrorsum ad annulum umbilicalem emittit, in decursu tubarum naturali ovarium exile quidem, priori tamen insignius

excipit, et dein quoque veras fimbrias aemulans, apertura naturali destitutas desinit. Ast quoque in hoc ligamento fibroso inter ovarium et uterum obvenit osseus tesserae magnitudine et forma tumor, qui quasi in funiculo proprio fibroso et rotundo ex uteri substantia continuo haerebat, et intus quoque massam calcariam continebat.

6) Virgo praenobilis Anna libera B. a N. nata ann. 1792, anno 23 aetatis suae peracto emortua phthysi, puella formosa, statura mediocri, corporis habitu procero et amoeno, ab infantia multis morbis infestata, nunquam menstrua habuit, etsi sat regulariter molimina conaminaque orta fuerint; et abhinc illa persaepe dolores cientes cruciatusque perpesserit; dein clorosis illi supervenit, vixque aliquomodo restitutam multis et variis medicaminibus longaque cura: mox peripneumonia a saltu ardenter amato, repentinaque refrigeratione orta subsequebatur, quam demum phthysis, jam dispositam clorosi, necavit. Mater me rogavit, ut inquirerem menstruationis retensae causas.

Viventi erat vox baritona, rauca quandoque et ad virilem accedens; protuberabat solito magis in collo larynx; ad pectus haesere mammae perpulchrae, soriorantes, areolae et papillae normales. Thorax, hypochondria, abdomen, coxendices et genitalia externa foeminam perfectam designavere. Mons veneris multo quidem adipe, cincinnis autem fere nullis, lanugine tantum, pubescentium modo obsitus; labia majora regularia, ligamentum interlabiorum, perineum, noduli haemerrhoidales circa anum; nymphae et clitoris alias quidem normales sed aliquomodo minores, regulare urethrae orificium, rima vulvalis sat parva, naturali modo coarctatior, et ad dimidium clausa hymene paululum in margine serrato atque pertuso utroque in latere foraminulo acus capiti accipiendo sufficiente. Fossa navicularis optime expressa, vagina normaliter situata, perangusta perbrevisque ab hymene usque ad fundum suum coecum longa dimidium

pollicem, pollicisque diametrum metiens, rugis plicisque gracilibus transversis, longitudinalibusque simul tumidis atque torosis obsita fuit. Corpore emortuae inspecto externeque explorato sectionem institui. In thorace praeter vomicam et plures adhaesiones quoque tubercula quaedam superantes et magnam aquae quantitatem detexi. Abdomine aperto pelvis cavum sat amplum inveni, exitum autem nimis angustatum. Inter pelvis organa amplitudine insueta insigniter excellit vesica urinaria, quae flaccida et urinis tumens in abdomen ascendebat; totum quoque pelvis cavum implevit, evacuataque insigne volumen retinuit. Tunica muscularis fuit valde tenuis, sphincter autem fere naturali robustior.

Neque ovarium, neque uterum videre licuit; imo vesica urinaria sublata, eam inter et intestinum rectum nil detexi, nisi sinum amplum a peritonaeo formatum. Cum mihi ex litteris plures uteri ovariorumque defectus historiae cognitae fuissent, jam ab ulteriori perscrutatione me abstinere decrevi, suspiciens hoc individuum eodem defectu solum laborasse; ast de improviso in latere sinistro mihi aliquid ductui deferenti simile ad annulum inguinalem tendens in conspectum venit, quo inductus fui, regiones inguinales accuratius explorare; ibique attigi, me hercule, sane mirum et inauditum! testiculos in pulvinari adiposo insigni involutos. Statim auferrenda abstuli, et in accuratiori disquisitione ab annulo haud procul testiculos cum parastatis tunica vaginali, musculo cremastere et processu peritonaei vaginali ita circumdatos inveni, ut processus peritonaealis suo in transitu per annulum abdominalem clausus quidem, in ulteriori decursu autem iterum apertus appareret, et sine septulo quodam testiculum et funiculum spermaticum simul contineret. Tunicis testiculos ambientibus apertis eos flaccidos, sat parvos, nimium exiles uti in pueris ante pubertatem exstant, conspexi.

Structura didymidum aeque ac illa epydidymidum fuit regularis; in epydidymide caput et ductuum deferentium. Gyruli clare distinguuntur;

uterque ductus deferens, etsi exiguus et gracilis, tamen apertus et setae suillae permeabilis, abdomen per annulum intrat, in pelvi inter peritonaei laminas ad vaginam descendens, post vesicam urinariam accipit ab utroque latere externo vesiculam seminalem haud dignoscendam, etsi minus crassam, unum tamen pollicem cum dimidio metientem, intus quoque cavam, et cellulis sacculisque munitam. Quisque ductus deferens sua cum vesicula correspondente in canaliculum seminalem sat amplum, semipollicem longum junctus, pone vesicae urinariae collum tandem coeco vaginae exilis sinui implantatur, quin canaliculus hucusque apertus imo sat amplus ostio quodam in vaginam pateat. Vagina nunc in pariete anteriori aperta locus singulae insertionis tantummodo sinu quodam, duabus plicis tumidis, longitudinalibus, rugarumque transversalium trajectu imbricatis constituto designatur. Nulla causa insignis hujus alienationis ex parte matris adduci potest. Mater ipsa mihi est confessa, per totam graviditatem meliori sanitate fructa fuisse, quam in praecessa et secutis. Ubi hoc exemplar memorabile obtinui, delineationes et incisura reliquorum praeperatorum jam fuerunt finitae.

7) Ludovicus Hainault anno 1752 in regione urbis Rouen natus, puer educatus sitve parentibus sexualium status insciis, sitve praemeditata eorum dissimulatione. Sua in juventute sustentationem vitae quam socius laboris sutorum mercenarius acquisivit; statusque hermaphroditicus tantum aliquot dies ante obitum ejus anno 1773 fuit cognitus.

Descriptio medica: statura illi erat fere, non omnino mediocris, capilli badii, facies ovalis, et amoena, parum barbae, corpus autem alias firmum. Mammae viriles, in summa totus corporis habitus virili similior atque propior; faciei tantum aliquid muliebre inhaesit. Genitalia utriusque sexus diversi sibi invicem ad latera posita et quoad earum partes externas undique perfectae erant. In latere dextro muliebria puellae ejus-

dem aetatis convenientia, pudendorum labia, vagina et uterus obveniebant. Vagina uteri circiter unum pollicem et quinque lineas metiens omnino peni recipiendo idonea. In latero sinistro virilia: penis nempe normaliter perforatus, sat longus, glans ejus praeputio cincta. Uterque testiculus in scroto deprehendebatur; heic ergo utpote omnis vir fuit formatus. Partes utriusque sexus genitales sulcu quodam haud insigni tantum ab umbilico ad symphysin ossium pubis decurrente divisae apparuere; mons veneris utrique sexui communis undique pilis fuit obsitus. In historiis hermaphroditorum aphroditicorum fere nullibi aliam formationem invenimus, quam defectivam aut excessivam in uno aut altero sexus organo apparentem; aut denique alienationem sexus ulterutrius in alienum polum alteri oppositum. In omnibus reliquis sexualium formationibus praevaluit modo mas, modo virilis prototipus primarius; heic autem formatio utriusque sexus organorum simultanea perfecta exprimitur; nam etiam in historia infantis androgyni ab Akermanno descripti character virilis, prototipus masculus praeponderavit. Quocumque organo ibi praesente, organum alterius sexus analogum semper defecit.

Statui hermaphroditismi oppositus est aphroditismus. Wolfhart Berolinensis nostris temporibus observationem hujus generis communicat. Non minus autem quam hermaphroditismus ac aphroditismus interest adhuc adducere quaedam de formatione cloacali, quae quasi reapse cum praecedentibus coincidit. Formatio cloacalis est reunio systematis chilouro- et spermato poëi praeternaturalis. In infimo evolutionis gradu omnes trium horum systematum aperturae in ima ventris superficie conspiciuntur. Ubi haec organa ad minimum tantum sunt evoluta, in loco quodam profundiori a reliqua operculi abdominalis textura non distincto foras petunt; in formatione autem jam magis progressa locus ille textura molli teneraque distinguitur a reliquis integumenti partibus, utpote cutis externa sua a continuatione et reflexione ipsius in membranam mucosam intestino-

rum genitaliumque abeunte dignoscitur. Status hic a pluribus pro vesica urinaria non perfecte formata aut inversa habetur; ast cum heic persaepe adhuc intestinum tenue antea cum vesicula umbilicali communicans, vagina, aut prostata, vaginae analogon et intestinum rectum, nisi intestina crassa omnino desint, simul foras petunt, hanc formationem quam cloacam aut rimam genitalem primariam declarare possumus, e qua omnia illorum trium systematum organa in formatione normali progressa separassent.

Levissimus hujus alienationis gradus est status Anaspadiaeorum, ubi nempe apertura vesicae urinariae remanet et supra symphysin ossium pubis aut cum hujus defectu simultaneo in regione montis veneris e. g. in dorso penis hiat. Puerum hujus generis alias perfectum in museo scientiarum academiae monachensis benevolentia Dr. Spix vidi. Vesica in dorso penis patet, et urethrae pars posterior in dorsum penis excurrens sensim evanescit. Pubis symphysi deficiente non raro vesica omnino invertitur, aut operculum abdominale ejus regionis et vesicae paries anterior simul desunt; vesicae pars posterior format massam carnoso-spongiosam, papillis urinas excernentibus signitam. Hujus generis fuit Ussem ille famosus, a Desgranges observatus; et nunc quoque infans, puer 3 ann, Schwarzenbachii ad flumen Saal siti, eodem vitio laborat. Iu infimo formationis cloacalis gradu fere semper totum abdomen manet divisum, cujus generis Petitus casum communicavit. Integumenta abdominalia omnino deficiebant; in regione pubis fossa aderat, cujus diametros unius pollicis longitudinem paulum superabat; in fossae fundo orificium ovale, sat amplum ad intestinum tenue conducens, infra fossam appendix quaedam sex lineas longa quatuorque lineas crassa. Nates imperfectae; anus et genitalia, excepta illa appendice, omnino deficiebant. Orificia ureterum in abdomine ad latera foraminis istius ovalis patent; ureteres innormaliter dilatatae. Plures hujus generis casus J. F. Mekel in compendio anatomiae pathologicae. Duas adhuc historias solum adducam, quia aliquid singulari utrique inest; et illa, quam nunc observo, alteram quoque clarius explicat,

1) Die 6. Maji ann. 1802 foemina laniarii cujusdam sex menses ante terminum ordinarium partu edidit infantem vivum quidem, qui autem post bihorium peractum convulsionibus correptus diem supremum iterum jam obiit, et cujus historiam Erhart in sua observationum collectione germanice conscriptarum, Norimbergaeque editarum. Vid. T. I. Sect. II. In regione umbilicali locus in forma circuli diametrum unius et dimidii pollicis metientis, operculo abdominali destitutus, peritonaeoque solummodo obductus apparuit; unde prodibat funiculus fere ulnae dimidiam partem longus. Anus omnino deficiebat; nec ullum quidem vestigium ejus observabatur. In regione dorsali lumborum vertebras versum saccus seu tumor singularis sensum fluctuationis proferrens; spinam bifidam designare videbatur, cum adtactu arcus et spinas vertebrales detegi non possent. Glandula quoque inguinalis lateris dextri denudata adjecit. E regione pubis corpusculum clitoridi simile exstabat, et infra hoc testiculis carens scrotum exiguum, pone quod pars aliqua pudendis muliebribus haud absimilis diversimodo plicata, sed nullum, nec urethrae nec vaginae apparuit ostium. Supra penem clitorideum autem in regione pubis mollis processus intestiniformis, digitum longus, et in ortu suo digiti crassitudinem metiens, in decursu autem se diminuens varioque modo serpentans prodibat, cujus finis aut extremitas proboscin apertura plicata intusque reversa monstravit. Dubius, an ille processus intestinum rectum deforme, aut penis monstrosus sit, aperuit eum autor noster secundum totam longitudinem; miratus invenit proboscin saccum tantum formantem, intestinula tenuia convoluta, mesenterio parvis glandulis rubicundis distincto adhaerentia continentem; protraxit nunc magis intestinula, et sine dubio potuisset totum eorum tractum ex hac probosci eximere, nisi ulterius perscrutatio et sectio cadaveris fuisset interdicta parentum praejudiciis. Abstineo annotationes adjungere huic descriptioni; historia sequens explicationi sufficiat.

2) Eva Ebert puellus deformis et permutatus die 17. Sept. ann. curr. nata in pago Wildensorg situato prope arcis Altenburg ruinas. Pater ejus

Georgius Ebert vir sanus et firmus 41 ann. nunc solummodo ulcere pedis laborat; mater Kunegunda Ebert foemina 37 ann. etsi jam septem proles perfecte formatos progenuit, sana et robusta hucusque fere semper firma gaudebat valetudine, eo tempore excepto, ubi gravida Evam nostram fovebat. Versus septimanam textam graviditatis suae diarrhoea dira fuit correpta, et debilitata; qui morbus tandem sedatus per totum graviditatis tempus fere post omnes 15 dies iterum reversus est; foemina insuper jam in tertio graviditatis mense peripneumoniam fuit perpessa, et vix recovalescens, diaeta necessaria neglecta, eundem in morbum adhuc gravius recidiva per duos menses lectu fuit detenta. Sat multum sanguinis in hoc morbo mittebatur. Foemina omnino per totam graviditatem male se habuit, semper dolore tensioneque imi ventris, acsi rumperetur, fuit vexata. Partu ad terminum peracto obstetrix, cum aliquid hermaphroditici videret, de sexu infantis dubitans eum puellam praevalentem declaravit, et infans fontis ablutione Evae nomen accepit. Cum autem casus infantis deformis rarus, et Obstetrix relationem lege praescriptam Dno. Dri. Speier medico districtui praeposito, physico sic dicto, fecit, qui infantem adhuc vivum cum Dno. Dre. Prof. Schilling praesentibus pluribus medicis atque chirurgis lustravit. Hi testiculorum in scroto fisso praesentia puerum recognoverunt. Hujus miri fama me tandem quoque attigit, et die 6 infantilis vitae hunc puerum deformem quoque exploravi. Primo infantis aspectu horrido obstupui ob massam fungoso-carnosam colore rubicundo-livido tinctam; nam hucusque nunquam quid simile vidi. Totum abdomen vix non inter femora haeserat. Massa illa carnoso-spongiosa livida, mucidaque ab umbilico inter annulos abdominales et femora ad mucronem ossis coccigis extenditur; et avibus adhuc junioribus, implumibus valdeque crassis haud absimilis est, praecipue ubi iis capite in altum tensis abdomen valde flaccidum dependet, et intestinum seu cloaca earum naturalis eversa magis minusve proboscidis modo protruditur. Utroque in casu hujus phaenomeni causa pelvis ossa in regione symphysis non reunita accusanda sunt. Ossa

pubis in hoc infante ad tres pollices invicem distant; et ab iis nil nisi eorum partes articulares et frustulum partis horizontalis adesse videbatur. Accuratiori contemplatione magnam analogiam inter casum hunc et praecedentem detexi; ast umbilici circumferentia ab operculo abdominali, modo eo supra ab Erharto memorato et descripto, denudata in circuitu diametrum unius pollicis et quatuor linearum metiente, non peritonaeo tantum, intestina condente, fuit formata, sed membrana illa pellucida fuit propria natura dedita, et utpote cornea ex confluxu systematis fibrosi cum systemate seroso in massam indifferentem seu duorum polorum oppositorum intermediam orta. In hujus corporis circumferentia peritonaeum ei tam arcte adhaerebat uti conjunctivae tunicae lamina corneae margini anectitur. Ast de hac materia alio loco.

Erhart nihil in infantis sui descriptione memorat de insigni quadam cutis alienatione, quam tamen ibi quoque adfuisse suspicor; sed alias descriptio et delineatio illius infantis maximam cum nostro refert similitudinem. Ubilicus, heic a cute naturali externo praecedenti simili modo denudatus, magis pubis regionem versus jacens, jam exsicatus fuit, et decidere minitavit. Ad latera circuli umbilicalis infra diametrum ejus transversalem massa illa spongioso-carnosa, toris tumidis ac villosis prae reliqua abdominis parte insignis, incipit, et directione convergente in utroque latere in papillas leves excurrit. Torus siniter dextro ad dimidium major; prior unum pollicem, secundus autem semipollicem tantum longus. Hi tori cum placentae juvencarum cotyledonibus in chorio dispersis comparari possunt. Interstitium horum corporum spongiosorum infra umbilici denudati circulum rubedine insolita quidem tinctum, minus autem villosum format spatium quasi triangulare, versus ossium pubis regionem plica quadam transversali obtruncatum. In margine horum corporum spongiosorum utroque, ab annulo abdominali ad perinaei locum solitum descendit plica cutanea tumida, labium pudendorum majorum simulans testiculumque

continens. Inter utriusque divisi scroti labium superius et illa oblonga corpora spongiosa rima seu sulcus sat profundus triangularis, membrana rubella, mucida glabra obsitus, obvenit, qui in utroque latere semper madidus fluidoque impletus fuit. Exterior et anterior sacci scrotalis facies dermate ordinario fuit obducta, ast in ejus inferiori parte interna, ubi sinus seu plica triangularis margine cristoso desinit, protuberantia mammillaris quaedam dentata et nympharum modo serrata, rubedine tincta exstat. Margo ille crystosus autem sinus triangularis inferiorem et internam partem formans a plica illa transversali in symphysis ossium pubis regione obvia oritur, et oblique ad protuberantiam mammillarem cum scrotali sacco cohaerentem excurrit. Infra plicam tranversalem, symphysin designantem, paululumque versus inferiora incurvam oritur inter scroti divisi sacculos pudendorum labia majora simulantes tumor rubicundus, diversimodo plicatus alterumque scrotum aliquomodo repraesentans; e cujus superiori magisque anteriori parte prostat proboscis quaedam, digiti minimi longitudini ejusque crassitudini adaequans, primo intuitu penem perfectum referens, ex quo meconium pridem nunc autem faeces et fluidum quoque urinis comparandum manabat. Ast penis hic neque cute ordinaria fuit tectus, neque glande, praeputio, frenulo et urethra, neque corporibus spongiosis munitus; cutis ejus externa rugosa, carnoso-villosa, mucosa, mucida livida annulos circulares, valvulis Kerkeringii in intestino tenui similes ibi format, ita ut penem hunc magis pro abnormiter coarctati intestini recti prolapsus congenitus lubuisset habere. Infra hanc proboscidem in tumore plicato scrotoque haud absimili tres papillae plicis parvis semilunaribus convergentibusque signitae apparuere, quae stilum aliquomodo quidem admittebant, sed haud longum ejus progressum permittebant. Infantis strepitu fletuque proboscis peniformis tumorque simulacrum scroti sat bene imitans valde arrigitur et intenditur, ita ut intestinorum descensum facile sentire possem. Tumor scrotiformis digitis oleo inunctis repositus fere rimam vulvalem in regione perinei simulabat.

Infans die octavo vitae suae, 24. Sept. ann. cum convulsionibus emortuus in theatrum nostrum anatomicum cura physici D. Dr. Speier missus, ibique a Dno. Rupprecht mea cura delineatus et a Dno. Dre. Prof. Schilling meque ipso simul fuit exactissime secatus. Abdomine aperto invenimus hepar ingens fere totum abdomen implens, omnia intestina ejus cavi tegens; praecipue fuit lobus hepatis major in regione prolongatus, cui vesica fellea, quae normam suam relativam haud excedit, adhaeret. Pelvis cavum, symphysi ossium pubis innormaliter dissoluta et in formatione retensa, valde amplum, antrorsum, deorsumque versus tunica fungoso-carnosa, mucosa, villosa tantum clausum, fere omnia abdominis intestina excipiebat, praecipue autem intestini tenuioris tractus valde allongatus, qui sua extremitate inferiori non in sinum coecum intestini crassi implantatur, sed prolongatione sua in regione pubis foras terminatur, et format in tumore illo plicato scrotiformi parietis sui interni eversione prolapsum quendam penis perfecti formam studiose aemulantem. Hic pseudopenis inversione et invaginatione intestini tenuioris, volvulo seu potius ani prolapsui simili modo ortus, in extremitis ore proboscidem repraesentat, utpote Erhartus talem in infante illo deformi descripsit. Abdomine aperto totum intestinum, penis modo inversum et prolapsum, in abdomen retrahi potuimus, et ubique mesenteriolum glandulis rubicundis signitum ei adhaerere vidimus.

Intestinum rectum non omnino quidem deficiebat, sed innormaliter tantum fuit formatum. Natura ibi simul ter ejus formationem tentavit, attamen frustra. Intestini recti locum occupant tres appendices vermiformes quae e regione illa, ubi alias orificium ani patet, in sacci scrotiformis facie interna cum aperturis externis, a formatione quadam plicata obvelatis oriuntur, tortuosaeque in pelvim abnormem ascendentes sinu coeco desinunt. Processus maximus intestini recti et crassi vera vice fungens duos pollices cum dimidio longus, pennaeque scriptoriae crassitie

oritur ante ossis coccigis mucronem; et initium ejus fibrae musculares sphincteris modo circumdant praecipue ab ossis coccigis parte; tunc muco subflavo spisso crassoque impletus utpote in processu vermicularis coli invenitur, tortuosus in pelvis latere sinistro ascendit, et in synchondrosis sacro-iliacae parte superiori sinu coeco desinit; alter processus vermiformis unum pollicem et dimidium tantum longus, praecedenti minus quoque crassus oritur etiam cum orificio externo plicis circularibus fere obtecto, sed magis antrorsum dextrorsumque versus e tumore scrotiformi plicato, et usque ad ossis sacri excavationem ascendit; tertius et minimus processus intestiniformis autem unum tantum pollicem longus, tenuis exilisque etiam a tumoris plicati, scrotum referentis, facie interna oritur, orificio externo exiguo praeditus, sed magis antrorsum magisque adhuc dextrorsum versus vix non in sumitate tumoris pone proboscidem peniformem, plerumque in sacco tumido ipse manet, vixque os coccigis attingit. Vesica omnino nulla observabatur, ast potius vesica urinaria in suo pariete tantum posteriori formata, modo a Vosin descripto, insuper est divisa, et in abdominis superficie externa sub forma corporum illorum spongioso-torosorum adjacet, quia renum lobatorum ureteres sat normales urinam orificiis ovalibus in illorum corporum parte inferiori plicas nymphoideas versum emittebant.

Testiculi cum epydidymitibus in scroti divisi saccis contenti exiles quidem, conformatione tamen naturali gaudebant; processus peritonaei vaginalis adhuc undique apertus inveniebatur. Ductus deferentes valde tenues, fere solidi apparebant; ita ut setam suillam difficile tantum in eos introduci, et in quibusdam locis omnino non immitti potuerimus. Hi ductus ascendunt e scroto labiali per annulum abdominalem reflexione circum ramum ossium pubis horizontalem facta in regione eorum praeternaturaliter divisorum intumescunt quasi vesiculas seminales aemulantes; imo ductus dextri intumescentia format in latere interno appendicem quandam coecam vesiculas seminales embryonis ex tertio aut quarto graviditatis

mense imitantem. Utriusque lateris intumescentiae iterum coarctatae dein cito desinunt sinibus coecis ad marginem illum tumidum, qui in regione symphysis ad protuberantes mammillares, vix non nymphas metientes, excurrit, simulque rimae seu plicae inquinalis sinum triangularem claudit.

His vesiculis seminalibus imperfectis utroque in latere eorum interno arcte adhaeret tuberculum planum quoddam, glandulosum, paululum rubicundum, dimidiae parti nucis avellanae adaequans, texturaque fibroso-celluloso-spongiosa intermixtum, quod simul cum membrana mucosa utriusque sinus triangularis in ejus interiori, inferiorique margine tumido conjungitur, cujus faciei abdominali paulum infra locum, quo ureter foras penetrat, perfecte autem ibi adhaeret, ubi canaliculus seminalis singulus sinu suo coeco sub cute mucosa desinit; heic quoque in facie externa hujus membranae mucosae plures cryptae et foraminula coeca, cribraeformia, jam supra memorata inveniuntur. Quis nunc adhuc dubitat, ne uterque sinus, divisus, duabus plicis inguinalibus formatus, reunctim sumptus vesicae virilis collum in regione corporis trigoni divisi simulque urethrae partem infernam musculosam ceteris viris a prostata glandula formatam constituat; praecipue si ossa pubis divisa invicem adproximentur; nam tunc membrana sinuum triangularium intermedia retro plicata disparet et ante corpora illa torosa vesicae urinariae constituentia partem posteriorem, quae heic sola ecquidem divisa adest, formatur sinus cloacae primordialis, referens prostatam glandulam divisam. Margines autem sinus triangulares interne determinantes nunc adproximati unitim verumontanum constituunt; atque ad latera ejus stilus in foraminibus ductuum deferentium coecis sentitur, simulque cryptae mucosae frequentiores, glandulaeque prostatae divisae exilisque aperturae conspiciuntur.

Nunc puero nil amplius defecit nisi penis, pro quo autem declaravi processus illos mammillares, nympharum modo dentatos, qui in labiorum

scrotalium facie inferiori haerebant. Textura eorum spongiosa hanc suspicionem excitavit. Labio scrotali aperto, quod tuberositatem ossis ischii arcte ambiens, hucusque texit, vidimus in fundo illius aliquid lividi coloris et praeparatione continuata mox deteximus penis spongiosum corpus cavernosum dextrum in processum, in processum mammillarem dentatum, nymphae similem ascendens a loco ossium pubis conjunctionis cum osse ischiatico. Supra memoravi, quod horizontalis pars ossium pubis fere omnino deficere videretur; ast nunc inveni quidem omnes coxarum partes excepta earum symphysi formata; sed ramis pubis horizontalis fuit naturali brevior, ejusque ramus descendens atque ischii ascendens insolito fuerunt antrorsum et extrorsum pressi, ita ut vix ullum foraminis ovalis apparuerit; insuper vidi musculum ischiocavernosum, seu ostentatorem e osse ischiatico orientem, unde quoque ascendebant aliae adhuc fibrae musculares, musculis transversalibus perinei similes, et in membranam villosam tumoris plicati, fere scrotiformis, locum ani perineique simul occupantis desinunt. Insuper aliud musculi cujusdam singularem conformationem et decursum observavi. Decurrit nempe utroque in latere ab ossis coccigis fasciculus muscularis insignis, a fibris jam supra memoratis, ani sphincterem referentibus, et oblique extrorsum ascendit, fibrisque musculi ostentatoris intermiscitur; sine dubio musculus bulbo-cavernosus constrictorem cunni referens. Delineationes hujus pueri jam factae in futurum publice apparebunt.

Figurarum tabulis aeri insculptarum.

Fig. 1.

Repraesentat in trunci parte abdominali omnibus digestionis apparatus organis ablatis organa sexu, urinaria et intestinum rectum simul

aa. Costae antipen ultimae, regiones renales formare adjuvantes;

bb. Renes degeneratos

cc. Renes succenturiatos beneque formatos regionibus modo nunc memoratis incumbentes Ren dexter valde exiguus et exilis sine lobis distinctis, uti id alias fieri solet in neonatis: ren sinister glomus racemosum est e vesiculis hydati-

formibus fluidum limpidum continentibus constans

xdddd. Operculum abdominis in lumborum regionibus cute musculis abdominalibus, tam obliquis, quam transversis, formatum.

ee. Uretes excessive dilatatae praecipue renis sinistri, uti in subjectis adultis morbo hydatidorum aut calculorum renalium laborantibus

f. Columna vertebralis in latere dextro.

g. Vena cava inferior.

h. h. Pars inferior coli intestini;

i. i. Vesica urinaria deformis ad umbilicum et supra eum adhuc in latere dextro sinum formans extensa.

k. Umbilicus

l. l. Cutis externa umbilicum ambiens

m. Vena umbilicalis.

n. n. Arteriae umbilicales; ex arteriis hypogastricis ortae; versus umbilicum ipsum valde exiguae et vix permeabiles, praecipue sinistra.

o. Corpus quoddam forma phyolae seu piri, uterus cystoideus sic dictus, protuberans.

p. p. Tubae Fallopianae seu potius ductus deferentes nodulis graniformibus signiti

q. q. testiculi parvi et exiles cum epydimidibus

r. r. Vasa spermatica

s. Collum Vesicae;

t. Corpusculum nodosum glandulae prostatae valde simile et situm ejus occupans, interne cavum, vaginam referrens.

u u. u. u. Residua operculi abdominis:

v. v. Ateriae iliacae externae, sive crurales internae

x. x. x. x. Margines ossium pelvis.

y. Membrum virile cum glande perforata.

z. Scrotum,

Fig. 2.

Demonstrat objectum praecedens vesica urinaria degenerata supra pubem in femur dextrum jacente; ita ut videre liceat alterum corpus cystiformem, sive uterum cystoideum, et pone partem coli descendentem in columnam vertebrarum dorsalium studio versam.

f. Columna vertebralis

d. d. d. d. Residua operculi abdominalis,

a. a. Costae antipenultimae.

x. x. x. x. Crysta cartilaginea ossis ilei.

A. A. Musculi iliaci interni

B. B. Musculus psous.

g. g. Testiculi cum epydidymitibus

C. C. Art. ilac. interna

V. V. — — externa seu cruralis interna

n. n. art. umbilicales.

i. Vesica,

t. Corpus nodum formans, glandulae prostatae similem.

e. e. e. e. Ureteres truncati

D. sinus irregularis in vesica

K. funiculus ubilicalis

l. Operculum abdominis umbilcum formans,

m. Vena umbilicalis

o. Uterus cystoides cum colo suo corpori prostatae analogo inplantans.

b. b. Tubae Fallopii seu ductus deferentes potius versus fundum uteri vesicularis excurrentes.

g. Vena eava inferior in uteri latere dextro.

h. Colon.

r. r. Vasa spermatica.

b. b. Renes degenerati quorum sinister ex vesiculis racemosis a qua impletis constat; dexter autem valde exiguus et exilis est.

C. C. Renes succenturiati bene formati.

Fig. 3. Tab. II.

Repraesentat organa urinaria et sexualia figurarum antecedentium e pelvi sumta a latere dextro conspicua.

C. Intestinum rectum

B. Uterus cystoides

A. Vesica urinaria

e. e. Partes inferiores ureterum obtruncatae.

n. Arteria umbilicalis dextra

m. Vena umbilicalis.

k. Funiculus umbilicalis

l. Operculum abdominis in regione umbilici.

E. Aorta abdominalis nimis in altum tensa.

D. Sinus vesicae urinariae abnormis

F. Collum vesicae.

t. Corpus glandulae prostatae correspondens.

G. Pars horizontalis ossis pubis symphysin versus abscissi.

H. Ramus descendens ossis ischii

I. I. Integumenta.

y. Penis.

z. Scrotum

K. anus.

L. Perineum virile.

p. p. Ductus deferentes nodulis inhaerentibus.

q. q. Testiculus exilis ovariis haud dissimilis in latere dextro.

r. Vasa spermatica.

Fig. 4. Tab. I.

Vesica urinaria, et urethra in facie anteriori per totam longitudinem aperta et uterus cum vagina a latere dissecta.

b Funiculus ambilicalis.

a. a. a. Frustulum integumenti abdominalis circa umbilicum cum vesica concretum.

d. d. Sinus incipiens vesicae urinariae insolitus

c. c. c. c. c. Margines vesicae incisae valde densi.

A. d. d. Tori villosi in facie interiori tunicae mucosae et sinuli cryptas mucosas continentes.

e. e. Oscula ureterum.

Q. Tunica mucosa versus collum vesicae glabrior

R. Vagina dimidum pollicem circiter longa in collum vesicae hiascens, in latere dextro discissa, monstrat multas plicas fere in circulum excurrentes.

S. Orificium rotundum in fundo vaginae margine torrido munitum

h. fossula in fine anteriori partis membranaceae.

B. *l. l.* Corpora cavernosa penis.

i. i. i. Urethra exigua et angustata discissa.

m. Bulbus cavernosus.

H. Apertura externa urethrae in glande.

K. Fossa navicularis.

C. *p. p.* Uterus cystiformis;

p. p. Incisio seu fossa transversalis uteri cystoidis.

Z. Collum ejus

n. n. Ductus deferentes consiti

o. o. nodulis glandulosis in tella cellulosa tantum haerentibus.

Fig. V. Tab. II.

Pelvis foetus mense septimo graviditatis suae emortui testiculis adhucdum in abdomine reconditis.

C. Colum descendens et intestinum incipiens.

B. Columna vertebrarum

d. d. Coxae

D. D. Locae, a quibus femora exarticulantur.

E Membrum virileratione totius valde longum; praeputio cinctum.

a. a. Scrotum testiculis nondum expletum.

I. Vesica antrorsum versa decisis arteriis umbilicalibus et uracho.

c. c. Ureteres descendentes peritonaeum perlucentes

d. d. Testiculi

e. e. Epydidymides

f. g. Gubernaculum Hunteri testiculis conjunctum per annulum abdominalem transiens; protrudit peritonaeum sub forma sacci flaccidi, qui testiculum et ductum deferentem sub vaginae nomine investit; in sinistro latere illud annulo operculi abdominalis discisso in textum fibroso-cellulosum evanescere, et tunicam dartos formare vides.

m. m. Ductus deferentes paululum flexuosi a margine interno testiculorum orientes collum vesicae versus excurrentes,

i. i. Peritonaeum a vesica urinaria ad testiculos eorumque ductus seminales transiens involvensque sub nomine tunicae vaginalis, propriae tam testiculum quam funiculum qua supra testiculos per concretionem mox in duo cava ab initio formationis unum solummodo constituens seperabitur.

Fig. VI. Tab. II.

Uterus bicornis monstrose formatus.

a. a. Pars superior vaginae apertae rugis notata.

b. Orificium uteri; rima transversalis et labium anterius et posterius.

c. c. Uteri bicornis corpus commune seu potius collum commune uterorum amborum dissectum; monstrat plicas palmatas; arborem vitae sic dictum

d. d. Cornua uteri dissecta.

e. e. e. e. Tubae fallopianae degeneratae, tuba dextra oritur cum duplici radice, ascendit in latere externo ovarii, quaeque radix duos pollices longa et in arcum invicem conveniunt; ergo fimbriis caret; solummodo ovarium, mediante ligamento membranae cellusae, vespertilionum alae correspondente cum altera radice conjungitur. Tuba in sinistro latere etiam sine fimbriis immediate in ovario correspondente finitur, et membrana ejus externa serosa fraenula et productiones cellulosas modo fimbriarum supra hoc extendit.

Errata sensum perturbantia.

Pag. 2 Linea 7 pro navi lege naevi.
— 5 — 18 — triumphum l. triumphus.
— 10 — ultima l. pariuntur.
— 14 — 2 pro duarum l. duorum.
— 14 — 5 pro mixtio l. mixtionem.
— 15 — 14 pro umbilicum l umbilicalem.
— 17 — 1 pro singularem l. singularium.
— 17 — 2 pro generari l. generare.
— 18 — 25 pro dominautur l. dominatur.
— 19 — 5 pro specie l. speciei.
— 21 — 9 l. substratum.
— 21 — 10 post tendens pone: vel
— 25 — 5 ante ultimam pro differat l. non differat.
— 26 — ultima l adaequat.
— 27 — 18 pro 10,0 l. 0,0.
— 32 — 5 ante ultimam pro actionumque l. actionum.
— 38 — 5 ante ultimam pro auem l. autem.
— 40 — 9 ante ultimam gruaditatis l. graviditatis.
— 41 — 3 pro mitidumque l. mitidamque.
— — — 8 pro vertrem l. ventrem.
— 43 — 4 pro fribras l fibras.
— 45 — 8 pro aequae l. aquae.
— 46 — 9 pro quadoque l. quandoque.
— — — 24 pro in arrive l. il arrive.
— 47 14 14 pro parastam l. parastatam.
— — — 20 pro tele cellulose l. telae cellulosae.
— 48 — 5 pro genitale l. genitali.
— 51 — 7 ante ultimam pro gravidatis l. graviditatis.
— 53 — 3 pro aliento l. alienato.
— 57 — 2 pro externam l. externum
— 61 — 3 pro dependeat l. dependet.
— 61 — 3 ante ultimam l. post seminales; accessoriae.

Pag. 63 Linea 17 pro corpore cavernoso l. corpus cavernosum.
— — — 6 ante ultimam pro genitalibus l. extremitatibus.
— 64 — 12 lege: uti in lepore foemella.
— — — 14 pro in septimam l. in septimana.
— 65 — 16 et 17 l. formas — recensas.
— 68 — 10 pro adpromiximantur l. adproximantur.
— — — 13 pro nullae vesiculae l. nullas vesiculas.
— — — 4 ante ultimam pro biscupidis l. biscupidae.
— 69 — 6 ante ultimam pro individui l. individuo.
— 72 — 7 lege: Dr Spix.
— 73 — 19 pro Hyspadiaei l. Hypospadiaei.
— 76 — 1 pro genitalis l. genitali.
— 77 — 9 pro testiculis l. testiculi.
— 80 — 2 ante ultimam pro duos l. duas.
— 85 — 15 pro Senensis l. Senesensis
— 89 — 5 pro perforatum l. imperforatum.
— — — 14 pro vulneribus l. vulnerum.
— 90 — ultima pro tubarum l. vasorum deferentium.
— 91 — 15 pro annus l. anus.
— 94 — 13 pro duriusculum l. duriusculam.
— 93 — 10 pro reversis l. reversi.
— — — 19 l. j- dicavit.
— — — 4 ante ultimam l. id est.
— 95 — 10 pro infra urethrae l. infra vesicae.
— 96 — 13 pro alia l. alias.
— — — 14 pro anceps l anceipite.
— 97 — 17 pro glandulosam l. glandulosum.
— 98 — 9 pro dubia l. dubio.
— — — 8 ante ultimam pro glande l. glandi.
— 103 — 11 pro criatur l. oriatur.

F.C.